DE

EPHORIS SPARTANIS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

P. GACHON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

MONSPELII

EX TYPIS CHARLES BOEHM

—

M D CCC L XXX VIII

DE EPHORIS SPARTANIS

DE EPHORIS SPARTANIS

DE

EPHORIS SPARTANIS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

P. GACHON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

MONSPELII

EX TYPIS CHARLES BOEHM

M D CCC L XXX VIII

Greek Father

ac

DOCTISSIMO VIRO OPTIMOQUE MAGISTRO

FUSTEL DE COULANGES

REVERENTIS ET GRATI ANIMI PIGNUS

P. GACHON.

INDEX LIBRORUM

QUI AD HOC CONFICIENDUM OPUS PRÆCIPUE CONTULERUNT.

MANSO. — Sparta. Ein Versuch zur Aufklärung der Geschichte und Verfassung dieses Staates. Leipzig, Dych, 1800.

SCHUBERT. — De Ædilibus. Königsberg, 1828.

SCHŒMANN. — Plutarchi Agis et Cleomenes. Gryphiswaldiæ, E. Mauritius, 1839.

SPAKLER.— De Ephoris apud Lacedæmonios. Amstelodami, 1842.

C.-O. MUELLER. — Die Dorier. Zweite Ausgabe. Breslau, 1844.

URLICHS. — Die Rhetren des Lykurgos, in Rhein. Mus., 1848, VI Jahrg.

KOPSTADT. — De Rerum laconicarum constitutionis origine et indole. Gryphiæ, 1849.

KAN. — Disputatio antiquaria de Ephoris spartanis. Groningæ, 1855.

BRANDIS. — De temporum græcorum antiquissimorum rationibus. Bonnæ, ap. Marcum, 1857.

SCHŒMANN. — Antiquités grecques (1857), traduites de l'allemand par C. Galuski. Paris, Picard, 1884, tom. I.

Arn. SCHÆFER. — De Ephoris Lacedæmoniis commentatio. Lipsiæ, Teubner, 1863.

BIELCHOWSKI. — De spartanis syssitiis. Dissert. inaug. Vratislaviæ, 1869.

STEIN. — Die Entwickelung des spartanischen Ephorats bis auf Cheilon. Programm. Konitz, Gebauer, 1870.

G. FLUEGEL. — Die Quellen Plutarchs Lykurgos. Diss. inaug. Marburg, 1870.

C. TRIEBER. — Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte. Berlin, Weidmann, 1871.

GILBERT. — Studien zur altspartanischen Geschichte. Gœttingen, Vandenhœck und Ruprecht, 1872.

C. Frick. — De Ephoris spartanis. Dissertat. inaug. Gottingæ, A. Huth, 1872.

C. Jannet. — Les Institutions sociales et le Droit civil à Sparte. Paris, Durand et Pedone Lauriel, 1873.

K.-F. Hermann. — Lehrbuch der griechischen Antiquitaten. Staatsalterthümer. Fünfte Auflage neu bearbeitet von Dr F. Bahr und Dr B. Stark. Heidelberg, Mohr, 1875.

G. Dum.— Entstehung und Entwicklung des spartanischen Ephorats bis zu Beseitigung desselben durch König Kleomenes III. Innsbrück, Wagner, 1878.

— Die Spartanischen Königslisten. Innsbrück, Wagner, 1879.

Fustel de Coulanges. — Recherches sur le tirage au sort appliqué à la nomination des Archontes athéniens. Paris, Larose, 1879. (Extrait de la Revue historique de Droit français et étranger, tom. II, 1878.)

— Étude sur la Propriété à Sparte. Paris, 1881. (Extrait des Mémoires de l'Académie des Sciences morales et politiques, nouvelle série, tom. XIII et XIV, 1879-1880.)

— La Cité antique, 11e édit. Paris, Hachette, 1886.

G. Gilbert. — Handbuch der griechischen Staatsalterthümer. Erster Band : Der Staat der Lakedaimonier und der Athener. Leipzig, Teubner, 1881.

H. Bazin. — La République des Lacédémoniens, de Xénophon. Étude sur la situation intérieure de Sparte au commencement du ive siècle avant J.-C. Paris, Leroux, 1885.

— De Lycurgo. Paris, Leroux, 1885.

E. Meyer. — Die Entwickelung der Ueberlieferung über die lykurgische Verfassung. Rheinisches Museum, neue Folge. Einundvierzigsten Bandes, viertes Heft. Zweiundvierzigsten Bandes, erstes Heft, 1886-1887. Frankfurt a. M. Sauerlander's Verlag.

DE EPHORIS SPARTANIS

PRÆFATIO.

Ephoros spartanos, rerum laconicarum ratione examinata, manifestum fit et incerto tempore institutos esse et eo magis in dies inualuisse quo Spartæ pauciores ciues in manus suas pecunias fundosque traxerint, rei publicæ gerendæ curam ut proprium sibi ius simul usurpantes. Nempe cum auctoritate quadam hi magistratus iam diu ante bella Persica a ueteribus scriptoribus tradantur instructi fuisse[1], Agesilai demum regno incipiente, si Plutarcho credimus[2], ad summam potentiam peruenerant. Quibus sæpe aduersatos esse reges aut obstitisse populum, aduocata contione, etiam ad tempus ineuntis Peloponnesiaci belli Thucydides docet. Nam

[1] *Diod.*, VIII, fr. 7, Bekk. et *Pausan.*, IV, 4, 8, de Polychare Messenio et Euæphno Spartano. Cf. *Herod.*, III, 148 ; V, 39 ; VI, 63, 65, 82, unde iam ante bella Persica ciuitati una cum patribus consuluisse ephoros accepimus.

[2] *Plut.*, Ages., 4.

Sthenelaïdas ephorus Archidami regis sententiam populique dubitationem non uicit, nisi artificiose discessione facta[1]. Amota autem omni contentione, Cinadonem nouis rebus studentem opprimere tum licuit ephoris, cum rariores iidemque ditiores optimates fuerunt[2]. Postquam denique dominatio paucorum auctore Epitadeo ephoro, lege confirmata est et opes ita auctæ ut Agidis III temporibus centum cives omnem fundum tenerent[3], totum ephororum collegium cecidit, repentino ictu prostratum. Hoc enim iam ab Agide infeliciter oppugnatum rex Cleomenes III, popularibus artibus tyrannidem sibi parans, interfectis magistratibus, sustulit.

Quos etiam cum senatu spartano imperii fortunæque consortes fuisse res ostendunt, plurimumque potuisse historiæ tradiderunt ea ipsa ætate, cum ciuitatem arbitrio suo patres regebant[4]. Atqui tum munus suum iamdudum senatores obtinebant propter αἵρεσιν δυναστευτικὴν, scilicet propter hereditariam patriæ disciplinæ obseruantiam et domesticas diuitias[5], et a vetere legitimoque comitiorum

[1] *Thucydid.*, I, 87.

[2] *Xenoph.*, Hellen., III, 3, 5-8.

[3] *Plut.*, Agis, 5.

[4] *Plut.*, Agesil., 4. Cf. *Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 113-114.

[5] *Arist.*, Pol., V (VIII), 5, 8, 1306a 18 Bekk. mai. Cf. *Bazin*, De Lycurgo, pag. 107.

Postquam Cleomenes III ephoros sustulerat, auctoritatem senatus infregit, eoque dimisso *patronomos* creauit. Cf. *Droysen*, Hist. de l'Hellénisme (translat. franco-gallica), III, pag. 522, ad not. 2, ubi *Pausan.*, II, 9, 1 et *Bœckh.*, C. I. G., pag. 605, scrip-

usu discesserat populus. Nullam enim post Agesilaum contionem aduocatam esse videmus, quæ non publicæ consuetudinis conuersionem sancire iuberetur. Ibi autem, concitata plebis in primores inuidia, ducum principatum affectantium commodis seruire in morem uenerat.

Ut nunc igitur res se habet, hoc animaduertendum est optimatium ephororumque potestatem una et creuisse et dilapsam esse; immo quo pauciores illi ad tractanda publica negotia restarent, eo ampliorem his auctoritatem contigisse. Unde factum sit ut cum unius ordinis condicione per tot annos congruerint ephoratus fata explorare pretium est, quia inde ad ea quæ a recentioribus præcipue disputantur de ephoris aliquid forsitan conferri potest. Nam quas ob causas hi magistratus instituti sint, quibus auxiliis in maius aucti, ita si definiri nequit ut nihil in dubio relinquatur, e quæstione tamen illa res quodam modo pendere uidetur, si probabilia coniectura sequimur. Et coniecturis opus est, fatemur, ut ad probabilem exitum quæstio perducatur.

Pauca enim ad eam enodandam supersunt testimonia, non quo infuerit legibus Lacedæmoniorum quod occultari vellent, ut ait Thucydides [1]; multi sane de spartanæ civitatis forma libri apud ueteres Græcos editi sunt, ætate quidem recentiore. Sed in nullo eorum, post hominum

tor laudauit. Quidquid id est, sublatis ephoris, haud superfuit senatus. Simul uero, post prælium apud Sellasiam (221 a. C. n.) instauratos esse denuo et ephoratum et senatum perspicuum est (*Polyb.*, IV, 35, 5).

[1] *Thucyd.*, V, 68.

memoriam, singillatim de ephororum munere disputatum est, neque ullam huius collegii historiam confectam esse accepimus.

Extremis enim temporibus ad explicanda quæque ciuitatum instituta scriptores græci demum animum intenderunt, qui res gestas uirorum aut communem gentis cuiusque indolem depingere diu maluerunt, quam de magistratibus singulis distinctius dicere. Neque prius huiuscemodi studia placuere quam philosophiæ disciplina mores informati sunt.

Inde sequitur ut quæcumque de ephoris nobis a scriptoribus græcis traduntur rara sint, et ea quidem disiecta, in nullum doctrinæ corpus congesta fuerint apud ueteres. Nam quæ de illis ab ultima antiquitate repetuntur in multis ætatis heroïcæ fabulis numerantur; quæ autem historiæ fide comprobata nobis prodita sunt ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte in Hellenicis, Plutarcho in quibusdam Vitarum locis quamvis de ephoris multo accuratius nos doceant, summatim eorum condicionem et indolem describunt. Eos enim semper cum regibus uel patribus, uel contione negotia publica gerentes inducunt scriptores, ita cum rei publicæ fortuna consociatos ut, in rerum laconicarum historia, ciuitatis et ephoratus mentio sæpe habeatur una.

Hæc ad eos pertinent qui ad narrandum scripserunt, cum nihil fere de ephoris litteris mandauerint quod ephoriæ peculiare sit[1], aliud inceptum peragentes. De iis

[1] Quid censendum uideatur de origine et munere ephororum apud Plutarchum in vita Cleomenis, vid. infr., pag. 29 sqq.

autem qui descriptioni ciuitatum dederunt operam aut leges ac instituta optima cogitatione finxerunt, ut exemplis homines in ciuilium uirtutum usu erudirent, haud multo secus existimandum est. Nam et omnes post multos annos a constituta re publica Spartanorum scribebant, ut supra diximus, et, inter eos, alii ex historia sumebant argumenta quibus sententiam suam de præsenti rerum statu confirmarent, alii, ciuitatis perfectæ imaginem adumbrantes, doricæ disciplinæ nonnulla tribuerunt quæ prodessent opinioni suæ. Satis est, ne in re peruulgata multus sim, quæ nuper de Xenophontea Re publica Lacedæmoniorum disserebat *H. Bazin* laudauisse[1]. Eiusdem fere notæ sunt a Platone, Aristotele aliisque ad artem commenticiumque ordinem conclusa, quibus nunc supersedendum est.

Exstant vero historicorum loca, qui proprie Spartanorum legibus operam nauasse perhibentur, Heraclidis Pontici, Sosibii, Dicæarchi, Persæi, Aristoclis, Charonisque Lampsaceni; at ea cum haud dubie ad propositum nostrum spectent, quis nescit pauciora et breuiora esse quam ut multum conferant notitiæ officii de quo agitur?

Nec aliud dicendum est de operibus eorum qui de obsoletorum uerborum ui et usu indices collegerunt; utilia sane, sed curta tantum inde eruere indicia possumus.

Ceterum desunt, ad illam quidem ætatem in qua epho-

[1] *H. Bazin*, La République des Lacédémoniens de Xénophon. Paris, Leroux, 1885.

rorum munus integra auctoritate instructum manet, inscriptiones, legum et actorum publicorum tituli; quæ tamen documenta nec Herodotum, neque Plutarchum ipsum omnino defecerunt. Cum autem multum distent alter ab altero, medios scriptores eadem copia, prout existimandi facultatem cuique eorum contigisse comperimus, usos esse liquet, de quo uix monendum est.

Hos igitur, priusquam eorum sententias paulo accuratius existimare inceperimus, pro ætate et auctoritate uiritim rencenseamus necesse est. Sæpius enim, omissis temporum rationibus, aut neglecta continua totius loci notione, eo modo collata sunt inter se ueterum testimonia, ut nouissimis, uel singulis, uel de certo aliquo consilio expromptis opinionibus eadem fides habita sit atque documentis antiquissimis et sincero animo prolatis. Sic doctissimus ipse uir Dumius, cum unus, quod sciam, diligenti iudicio præcipua quæ exstant de ephoris recognoscere uoluerit, uix Herodotum attigit: quin eius uerba quædam simplicia a reliquo loci exemplo seiunxit[1], narrationem uero Plutarchi in Cleomenis uita, 10, quæ commenticia habetur, libenti animo explanauit totam[2].

Alia lege quæ accepimus de ephoris tractare oportuit, non tam numeranda quam perpendenda.

Hoc autem in promptu est ista eo certiora et utiliora

[1] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 31. (Herodot) berichtet in einer Kurzen Notiz ueber die Reformen des Lykurg auch, dass dieser «die Ephoren und Geronten aufstellte».

[2] *Id.*, Ibid., pag. 39 sqq.

uideri ad explicandam ephoratus inventionem quo longius repetantur. Nempe quæ de huius instituti origine senserunt ueteres e memoria litterisque antiquissimis didicerunt. Quam paulatim famam mutatam esse et in dies, prout existimauerit scriptor quisque, pristinam notitiam corruptam esse probabile est. Quapropter, cum de primordiis ephoratus agatur, ad temporum rationem sunt ordinanda testimonia.

Si autem de huius muneris natura et potestate, quales inter Persica bella et seditionem a Cleomene III concitatam ephororum collegio contigisse nouimus disceptandum est, testimonia pro cuiusque scriptoris auctoritate adhibenda et inter se conferenda esse quis dubitet? Nam operam tunc nauasse propriam ephoros et mox principem in ciuitate locum obtinuisse ab ipsa rerum narratione compertum est. Oculis quasi subiecta suis tradiderunt scriptores plerique, quorum potius iudicium quam ætatem perpendendam esse arbitramur.

I.

QUID TRADITUM SIT DE EPHORORUM ORIGINE.

Inter se dissentiunt scriptores de ephoratus primordiis ; nam alii Lycurgum, alii Theopompum regem huius magistratus auctorem fuisse tradunt. Idcirco ante omnia monendum est a uetustioribus scriptoribus antiquiorem ei muneri de quo agitur originem tributam esse. Utrosque secuti sunt quidam de quibus post dicendum est. Nunc quibus testibus confirmentur præcipuæ illæ ambæ sententiæ, inter se repugnantes, examinandum est.

Notum est et uulgatum priori sententiæ fauisse Herodotum et scriptorem, quicumque est, libelli qui *Res publica Lacedæmoniorum* inscribitur ; posteriori Platonem, Aristotelem, Plutarchum. Alterutri sententiæ accedunt quicumque de ephoris dixerunt.

Gravissimum esse inter omnia testimonium Herodoti nemo est qui infitietur. Nihil enim ut dicam de comprobata historici fiducia, cum Spartæ eum commoratum esse compertum sit [1], ibi procul dubio quid ipsi Spartani de antiqua ciuitatis suæ constitutione sentirent, homo ueterum rerum studiosissimus accepit. Spartana hæc est quam refert ille, fama et Spartæ publice eo tempore memorabatur, cum ibi Herodotus ad conscribendum opus mate-

[1] *Herod.*, III, 55.

riam quærebat. Quod profecto ipse profitetur in libr. I, 65. Postquam enim Pythiam uigentis tum apud Lacedæmonios rei publicæ status, quorumdam quidem iudicio[1], auctorem fuisse narravit, profecto Lacedæmoniorum ipsorum sententiam[2] neque aliam quamuis expromit. Unde manifestum est, Herodoti quanta sit auctoritas, quando constat, ab eo antiquam et uulgatam notionem traditam esse, quæ ad nullam commenticiam opinionem composita et ficta fuerit.

Aiebant igitur ipsi Spartani Lycurgum, cum se regi Leobotæ fratris sui filio tutorem præbuisset, e Creta leges Spartam attulisse. Quam famam historicum apparet in capita duo distinxisse : conditorem scilicet spartanarum legum Lycurgum fuisse ; eius autem placita e Cretensi insula allata esse. Quam arcte huius narrationis inter se cohæreant partes indicant et omni tempore Spartanorum mentibus insitæ opiniones[3] et illa Pasiphaës religio antiquitus Spartæ culta, quam Urlichsius, Prellerus et Schæferus cretensem superstitionem esse ostenderunt[4].

[1] *Herod.*, I, 65. Οἱ μὲν δὴ τινες πρὸς τούτοισι λέγουσι καὶ φράσαι αὐτῷ τὴν Πυθίην τὸν νῦν κατεστεῶτα κόσμον Σπαρτιήτῃσι.

[2] *Id.*, ibid., Ὡς δ' αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι...

[3] Cf. de hac re *Bazin*, De Lycurgo, pag. 3 sqq. : « Ne nomen quidem ejus (Lycurgi) enuntiat Thucydides ; sed ejus operæ alludere mihi uidetur, quum Spartanos dicit eamdem ciuitatis temperationem plus quadringentorum annorum spatio intemeratam seruauisse. » (*Thucyd.*, I, 18.)

Cf. *Xenoph.*, De Re publ. Laced., X, 8; *Strab.*, X, 4, 9; *Plutarch.*, Lyc., cap. I et pass.

[4] Cf. *Schæfer*, De ephor. Lacedæmon. Commentat., pag. 17.

Præterea Herodotus triplici diuisione Lycurgeam rei publicæ formam describit : leges ciuiles (τὰ νόμιμα) et adhibitam ab eo curam ut easdem transgredi nemini liceret; quæ ad bellum pertinerent (τὰ ἐς πόλεμον ἔχοντα), ubi syssitia numerantur; postremo quæ ad rem publicam gerendam spectarent. Ibique ephoros et patres a Lycurgo institutos esse declarat : πρὸς τούτοισι τοὺς ἐφόρους καί γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος.

Herodoto igitur si credimus, ephoratus inuentio ad ipsum Lycurgum referenda est. Huius enim uiri personam quæ fabulis quibusdam inuoluitur licet omittamus; parui enim momenti illud est ad propositum nostrum. Hoc tamen restat ut ephoratus inter ea instituta quæ Lycurgeo nomine apud Lacedæmonios, cum scriberet Herodotus, notabantur, adnumerandus sit.

Quod si qualem rationem muneris ante bella Persica ephoris assignati Herodotus animo conceperit quærimus, eos imprimis in his negotiis implicatos fuisse animaduertendum est, quæ regum familias et hereditaria iura contingerent. Inter nonnulla alia, Anaxandridæ regis exemplum conspicuum est. Nam eo tempore quo Spartam venit Aristagoras Milesius, ephori regem Anaxandridam iusserunt alteram uxorem ducere, quod nullos ex priore liberos suscepisset. Se tum ei consilio astrictos esse affirmant, ne Eurysthenidarum genus exstingueretur. Cum vero abnueret Anaxandridas, una cum patribus deliberauerunt ephori; contumaci regi minabantur seuerius animaduersuros esse in eum Spartanos [1]. Dicto paruit

[1] *Herod.*, V, 40.

Anaxandridas, nouamque duxit uxorem. Sed cum grauida prior esset reperta, ephori, fraudem suspicantes, partum speculati sunt [1].

Easdem uel similes susceperunt partes, cum natus est Aristonis regis filius qui Eurypontidarum genere ortus erat, æqualis fere Cleomeni I, Anaxandridæ filio. Huic puero nomen fuit Demaratus, id est a populo exoptatus, quem e Sparta postea eiectum a Cleomene nos docet Herodotus in patria tandem regnum obtinuisse[2]. Cum ambas ibi regum familias inter se pugnantes inducat Herodotus, nonnulla sunt notatione digna quæ uetus ephororum munus depingant. Vxor Aristonis pulchritudinem, ut deæ donum, accepit in Helenæ templo quod ephororum propria religione sacratum erat [3]. Collegii testimonium inuocauit Leotychides, Cleomenis amicus, qui spurium esse Demaratum contendebat. De hoc certamine non ephori, sed gentile oraculum, Pythia, iudicium tulit,

[1] *Id.*, ibid., 41. Anaxandridam anno circiter 560 a. n. C. regnasse perhibetur. V. Bouché-Leclercq, Atlas pour servir à l'histoire grecque de E. Curtius, pag. 42.

[2] *Herod.*, VI, 51-66.

[3] *Herod.*, VI, 61. Cf. Schæferum, De Ephor. Lacedæm., pag. 17-19, ubi, post Prellerum et Ern. Curtium euicit scriptor Helenæ et Pasiphaës cultus lunares fuisse relligiones et ad ephoratum pertinentes. « Hæc (ephororum uaticinia) præbuerunt incubationes in templo Pasiphaës, quas Urlichsius scite coniecit ab Epimenide Spartam translatas fuisse...... Scilicet Cretensis dea fuit multis fabulis cum Minoe coniuncta » (Cf. Prelleri Myth. gr. ed. sec. II, 120).

quam falsam et pecunia conductam fuisse demonstratum est. Postea uero, alia de causa, in iudicium ephororum adductus est Cleomenes, in qua lite populus spartanus deliberauit et de rege decreuit [1].

Quid plura? Herodoto uidentur ephori longe ante bella Persica de regum hereditario iure cognouisse, suum habuisse cultum deorum, cum populo denique et sæpius cum patribus de rei publicæ forma seruanda egisse. Immo ueterum morum custodes et antiquæ disciplinæ patronos illi se iam demonstrant esse; quin etiam in ea re ab iis incipiunt consilium et iussa, si Cleomenis I erga ephoros obsequio credimus [2].

Hæc de ephoris sentiebant Spartani, Herodoti æquales; quæ fortasse proficiet memorauisse, quanquam haud nos fugit, auctore Thucydide, multa de Sparta per uetustatem temporum obliuione obruta, aut praue uulgata fuisse [3]. Illud tantum, utcumque est, notandum, quod unam famam tradit Herodotus et eam omnibus notam.

Eadem fere atque Herodotus litteris tradidit Xenophon. Nam, ut putant uiri doctissimi, libellus ille Xenophonti tribuendus est qui *De Re publica Lacedæmoniorum* in-

[1] *Herod.*, VI, 82. Quid de hoc *populo* existimandum sit, uid. infr., pag. 60 sqq.

[2] *Herod.*, III, 148. Cum expelli e Sparta Mæandrum, tyrannum Samium, ob temptatam ab eo corruptelam Cleomenes I oportere arbitraretur, βὰς ἐπὶ τοὺς ἐφόρους rex eum expelli ἄμεινον εἶναι ἔφη. Consiliatur itaque rex; non imperat ephoris, qui, reipsa, per præcones, Mæandrum expulerunt.

[3] *Thucyd.*, I, 20.

scribitur[1]. Quod si prorsus Xenophonti abnuatur hoc opus, at saltem rerum laconicarum peritissimum scriptorem illum esse constat. Cui quidem minor quam Herodoto fides adhibenda est, si optimatium ille partes egit, ut demonstrare non frustra studuit *H. Bazin*. Restat tamen illud, quod apud eum certa et definita Lycurgeæ rei publicæ notio reperitur, qualem ad quinti sæculi a. n. C. finem Spartani ueterum morum studiosi sibi fingebant.

Hoc in primis perspicuum est in Xenophontis loco (De Re pub. Laced., 8), ubi de ephoratus origine agitur, a scriptore non Lycurgo soli, sed optimatibus cum Lycurgo consentientibus ephororum institutionem tributam esse. Quæ autem sit totius narrationis structura inspicere non est inutile. Postquam de educandis pueris, informandisque ciuibus secundum Lycurgeam disciplinam disseruit Xenophon, quærit qua arte legum conditor Spartanos a congerendis diuitiis prohibuerit. Illæ enim molestiam potius quam uoluptatem, quoniam gravi pondere æris continebantur, diuitibus attulissent[2]. Nam res mouentes tantum scriptor hoc loco designauit. Sic ad commune erga ciuitatem obsequium, sublata diuitum superbia, omnium animi inclinati erant. Nempe in spartana ciuitate cuncta ad obœdientiam ita erant comparata, ut magistratibus et legibus populus uniuersus se dicto audientem præberet.

[1] V. *H. Bazin*, La République des Lacédémoniens de Xénophon, cap. II-IV.

[2] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., 7.

His fere uerbis incipit locus qui octauus ex ordine numeratur et cuius omnes partes ad eumdem finem apte compositæ sunt : Hanc rei publicæ formam quæ optima ciuilibus, militaribusque et domesticis rationibus uidebatur esse Lycurgus ut institueret, sententiam suam primoribus ciuitatis ita suasit ut magistratuum dictis audientes esse summam gloriam reputarent. Ephoratus igitur una cum Lycurgo potestatem creauisse habendi sunt. Εἰκὸς δὲ καὶ τὴν τῆς ἐφορείας δύναμιν τοὺς αὐτοὺς τούτους συγκατασκευάσαι, ἐπείπερ ἔγνωσαν τὸ πείθεσθαι μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν στρατιᾷ καὶ ἐν οἴκῳ. Sequitur hæc uerba potestatis descriptio. Cum sit enim supremum bonum dicto parere, ephori summum et tyrannicum imperium exercent (Ἔφοροι οὖν, κτλ). Utilissime nos præterea docet Xenophon, qui ephoros confert cum eis qui certaminibus gymnicis præsunt. Quibus statim, omni sublata prouocatione, mos erat obtemperare[1].

Nec inde abest fama illa quæ Lycurgum a Pythia honoratum fuisse et eius placita comprobata Herodotus iam prodidit ; sed Xenophon non hunc imitatur qui a narratione spartana seiunxerat Pythicæ sanctionis mentionem. Infra, sicut Herodotus, in Lycurgeis institutis ephoratum nominat, cum de re militari, præcipue de dilectu dicit[2].

E gemino Herodoti et Xenophontis testimonio concludendum est unam per quintum a. n. C. sæculum de ephoris innotuisse sententiam et eorum munus inter Lycurgea instituta numeratum fuisse ; quæ tamen ab

[1] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., 8.
[2] *Id.*, ibid., 11.

Herodoto simpliciter exprompta, apud Xenophontem ad artem quamdam non sine coniecturis expressa permansit.

Manauit hæc etiam ad serioris ætatis scriptores, quos tamen ut pauci faciamus nonnulla nos inducunt.

Nam quod primum huius modi occurrit testimonium in Epistolarum, quæ feruntur, Platonicarum octaua inuenitur[1]. Præterquam quod incerti scriptoris est illud opus et de historicis rebus mediocri fide dignum, rerum ipsa instructio hunc locum de præcogitato consilio esse compositum indicat. Lycurgus enim ibi et familiæ suæ et ciuitati consuluisse perhibetur, cognatorum suorum tyrannidem Argis et Messenæ affectantium quoquomodo conatibus obsistere voluisse et patriæ in eodem periculo medicamentum afferre ; igitur *τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν καὶ τὸν τῶν ἐφόρων δεσμὸν τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς σωτήριον* instituisse. Hæc imperii decreta partitione inter patres, ac magistratus et reges effingi uidetur ratio quædam qua suam philosophus quiuis rei publicæ gerendæ disciplinam commendaret; inde eadem in aliquam suspicionem uenit. Verbum ipsum « *σωτήριον* » cum uerbo a Platone usurpato in Leg. III, pag. 692, *σωτήρ*, congruit. Conatur manifesto scriptor spartanam constitutionem, accommodatis ad rem commentariis, explicare.

Minoris etiam sunt æstimandæ Diogenis Laertii et Suidæ sententiæ quas a vera significatione deprauatas fuisse Kanius et Frickius demonstrarunt[2]. Nam Satyrus apud

[1] *Pseud. Plat.*, epist. 8.

[2] *Diog. Laert.*, I, 3, 1. *Suidas*, u° Λυκοῦργος Cf. *Kan.*, Disput.

Diogenem Laertium ephoros regum uicarios censet fuisse, ut uidetur; Suidas profecto ephororum mentionem ut præsidum, uigilum, custodum et præfectorum facit. Huc addendum est ab Hesychio verbi ἐφορεύειν uulgatam esse explanationem : ὑποπτεύειν.

Veterem opinionem *Ed. Meyer* [1] aperte significare contendit Iustinum (III, 3) his uerbis: « Lycurgus *regibus* potestatem bellorum, *magistratibus* iudicia et annuos successores, *senatui* custodiam legum, *populo* sublegendi senatum uel creandi quos uellet magistratus potestatem permisit. » Doctissimo uiro libenter assentimur, hoc unô excepto, quod latius patet Iustini assertio. Quanquam enim ibi ephori recte agnoscuntur, incertum est in singulare magistratuum collegium Iustini uerba cadant, necne.

Progrediamur nunc ad alia testimonia quæ eo ducunt ut a Theopompo rege institutos esse ephoros credamus. Cuncta recidunt ad seram ætatem in qua mutata esse paulatim et adulterata uetus fama, uel litteris mandata, potuit.

Platonem et Aristotelem concedatur necesse est non multum ab Herodoti excessu distare, præsertimque a

antiquar. de ephor. spartan. Groningæ, 1855, pag. 16-17; et *Frick*, De ephor. spartan. dissert. inaugur. Gottingæ, 1872, pag. 8.

[1] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus. fuer Philolog., uol. 41, part. 4, pag. 579. Cum huius sententiæ Justini ultima parte recte confert *Ed. Meyer*, Aristotelis hæc uerba : (ἐφορεία) καθίσταται γὰρ ἐξ ἁπάντων (Pol., II, 6, 15, 1270^{b} 25 Bekk., mai.). De quo uid. infr., pag. 68 sqq.

Xenophonte, quin etiam per diligentissimam Stagiritæ industriam annales et prioris æui libros euolutos, nec non hominum memoriam interrogatam esse.

At in eo discrimine temporis multa de Spartanorum re publica edita fuisse quis neget, cum Aristoteles Thibrona nominet[1] et Ephorus apud Strabonem dicat de quibusdam qui laconica instituta e creticis pleraque institutis deprompta esse asseruerint[2]? Scriptorum istorum nihil aliud quam nomina aliquot supersunt; hoc tantum compertum est quibusdam cretensi constitutioni simillimam ciuitatis spartanæ formam uisam esse et a Thibrone ad Lycurgum Lacedæmoniorum militarem disciplinam relatam[3].

Noua igitur de ephoris narratio informari et exprimi potuit, quam ab antiquiore æuo paulatim et deinceps ab Herodoto ad Xenophontem mutari uidimus[4].

Si Platonem et Aristotelem audimus, hoc in primis considerandum est philosophos illos scripsisse ut ad rationem, immo ad præcepta sua historiam Spartæ reuocarent. De ephoris disputant eo animo ut uetus hoc institutum cum tota Lacedæmoniorum disciplina accommodent. Ita fit ut apud eos sententiarum potius perpetuitas et constantia quam nuda rerum narratio sit quærenda.

[1] *Aristot.*, Pol., IV (VII), 13, 11, 1333b 18, Bekk. mai.

[2] *Strab.*, X, 4, 17.

[3] Cf. sup., pag. 16 sqq. et Xenoph., De Re publ. Lacedæm., 8. Thibronem fontem Platonis fuisse affirmat *v. Wilamowitz* in *Homer. Untersuch.*, pag. 273.

[4] Cf. sup., pag. 18.

Quin ambiguus uterque uidetur esse in locis ubi de ephoris agitur, nec plane aperta tradidisse. Expendamus enim uerba Platonis (Leg. III, pag. 692, A): ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῖν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, ἐγγὺς τῆς κληρωτῆς ἀγαγὼν δυνάμεως. Antiquus ephororum magistratus hic excutitur, qui mirandus sane, ut Spartæ peculiaris, habebatur, tanta quidem potestate ornatus, et cuius origo uulgus latebat. Sub specie freni munus illud indicatur a scriptore, cui translationis usus familiaris est; hunc tamen non proprio uerbo usum esse quis non animaduertat?

Doctrina scilicet quædam hoc loco explicatur, non tantum proditur fama. Qui fiat ut moderatius regis imperium exerceatur et inter tyrannidem turbulentumque plebis regimen ciuitas librari possit Plato docet et e memoria de Theopompo tradita exemplum aliquod profert[1]. « Tertio, enim, illo servatore » Theopompum regem designari nemo dubitat et e Plutarchi cum Platone comparatione elucet[2]. Sed, præterea, saluo platonico sermone, num ipsam ibi ephoratus inuentionem plane significauit scriptor? τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, haud τὴν ἐφορίαν dixit; itaque non perperam premitur Platonis uerbum[3], si quis inde a Theopompo ephoros non institutos esse, at in maiorem potestatem euectos contendat.

Eodem redeunt Aristotelis sententiæ. Illa enim narratio

[1] Cf. *Plut.*, Lyc., 5.
[2] Cf. infr., pag. 29.
[3] Quod negat *Frick*, De Ephor. Spartan., pag. 6.

de ephoris toties usurpata et peruagatissimus sermo Theopompi cum uxore sua colloquentis [1] excerpta sunt e disputatione de causis corrupti aut seruati apud gentes regni. Ibi Aristoteles rationes reddit cur tam stabilis fuerit regia apud Spartanos potestas. Exemplum et documentum a philosopho etiamnum affertur. Præterea, quod infra pluribus disceptandum erit, fabulæ ad rerum interpretationem fictæ speciem hæc narratio præbet et ibi Aristoteles, uel post alios scriptores, quasi μυθολογικός esse videtur. Etiam verbum μετριάσαντος (τὴν βασιλείαν) haud absimile a Platonico verbo apparet et eamdem cogitationem utrique scriptori succurrisse demonstrat. In hoc demum disertus est magis quam Plato Aristoteles, quod non τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, sed τὴν ἀρχὴν a Theopompo insuper creatam esse asseuerat, si modo uoci « ἐπικαταστήσαντος » « insuper creandi » uim tribuimus [2].

Neque tamen scriptor secum ipse plane concors esse videtur, cum (Pol. II, 6, 1270^{b}, 15-20, Bekk. mai.) « populum dixerit quiescere, quia recte supremi magistratus particeps fiat », adiectis his verbis : εἴτε διὰ τὸν νομοθέτην, εἴτε διὰ τύχην τοῦτο συμπέπτωκε. Quæ uerba τὸν νομοθέτην non cum Steinio [3] ad Lycurgum referenda esse arbitror ; nam multis Politicorum librorum locis ὁ νομοθέτης certum legum conditorem minime designat, ut in iuris-

[1] *Arist.*, Pol., V (VIII), 9, 1, 1313^{a} 26 Bekk. mai.

[2] Videtur in hoc loco Aristoteles ad Theopompum regem alia spartana instituta retulisse, cum τοῖστι ἄλλοις verbo μετριάσαντος subiunxerit, de quibus ignoratur.

[3] *Stein.*, Die Entwickel. des Spartan. Ephor., pag. 4.

prudentiæ scholis uerbum « legislator ». At cum διὰ τύχην ait, nonne alias causas suspicatur scriptor cur exstiterit ephororum auctoritas?

Quidquid id est, uulgatam de Theopompi famam acceperunt et prodiderunt nonnulli, Cicero, Valerius Maximus, Dio Chrysostomus, Plutarchus. A quibus non dissentit Eusebius qui fere ad regis Theopompi tempus ephororum primordia computatione referat, licet Theopompum regem non nominet[1].

Si Valerii Maximi et Dionis testimonia prætermitti possunt quæ tantummodo priora repetant, ille in diffusa, ut solet, narratione[2], hic in brevi notula[3], at saltem maioris discriminis Cicero foret. Quo tamen interrogato, philosophum hoc loco, non historicum scripsisse in aperto est. Platonicam enim et Aristotelicam sententiam secutus consulari imperio tribunorum, ut regio ephororum « frenum » opposuit et cretensem cum spartana rei publicæ constitutione contulit[4].

[1] Cf. *Frick*, De Ephoris spartan., pag. 10, et pag. 13-17.

Ed. Meyer, Die Entwickel. der Ueberlieferung ueber die lykurgische Verfass. Rhein. Mus., uol. 41, 1886, pag. 580, et eiusdem Nachtrag ad id opus. Rhein. Mus., 42, 1887, pag. 101.

[2] *Val. Max.*, IV, 1. Barb., 8.

[3] Dio Chrys., LVI, pag. 565 (Orat. 56).

[4] *Cic.*, De Leg., III, 17. Nec ephori Lacedæmone sine causa a Theopompo oppositi regibus nec apud nos tribuni.

De Re publ., II, 33. Ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Græcis frenos : nam etiam Spartæ regnante Theopompo, sunt item quinque, quos illi ephoros appellant, in

Alia uia ingressus est Plutarchus qui tamen non continua doctrina stetit. Ideo distinguenda sunt duo eius opera ubi sæpius de ephoris disseritur. Vitæ Lycurgi profuerunt antiquissima documenta, in qua tamen e recentioribus fontibus se hausisse ille profitetur[1]. Quod Platonem laudat, cum senatum institutum et temperatam curiæ auctoritate plebis (τοῦ πλήθους) petulantiam fuisse a Lycurgo ille commemorat[2], inde iam docemur scriptorem cum Platone consentire de spartanæ constitutionis indole et de ephoratu.

Disertiora autem, ut notum est, in cap. 7 exprompsit, ubi ephororum primordia ad annum circiter centesimum et trigesimum post Lycurgum, Theopompo regnante, refert. Quod cum Eusebii computatione ferme congruit[3].

Hanc vero sententiam aspernantur uel recentiores antiquitatis interpretes qui Theopompum ephoratus auctorem fuisse indicant; quoniam illa ad constituendos ephororum fastos in medium prolata fuisse habetur[4].

Supersunt ab eodem explicata in Cleomenis uita; quæ quidem tertiam narrationem a longe alia origine ductam indicant[5]. Nam ibi Cleomenes, occisis ephoris et pro-

Creta autem decem, qui cosmœ vocantur, ut contra consulare imperium tribuni plebis, sic illi contra vim regiam constituti.

[1] Vid. *Fluegel*, Die Quellen in Plut. « Lycurg. » Uebersicht.

[2] *Plut.*, Lyc., 5.

[3] Cf. sup., pag. 26, ad not. 2.

[4] *G. Dum.*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 38 et 39. Cf. *Schœmann*, Antiq. græc. transl. franco-gallic., pag 276, et *Ed. Meyer*, in Rhein. Mus. fuer Philol., uol. 41, pag. 580.

[5] *Plut.*, Cleom., 10.

scriptis octoginta ciuibus, ad nouas res moliendas se coactum esse necessitate demonstrare in animo habuit. Consilium igitur et facinus ut excuset, in contione ephoros initio a regibus ex amicis lectos, nihil aliud primum atque eorum ministros et uicarios fuisse declarat. Qui ab humili ortu paulatim ui et dolo ad insolentem hanc potentiam se euexerint.

His uerbis additamentum ad secundam illam narrationem, quam Plato ceterique tradunt, adicitur. Ephori enim non tantum a Theopompo creati, sed et absentium regum uicarii et e regio comitatu adsciti inde esse ostenduntur.

Quam sententiam priori anteferens, uir doctissimus G. Dumius veri similiorem esse conatus est demonstrare [1].

Hæc tamen cur in dubium uocetur nemo, nec præsertim G. Dumius ipse ignorat, qui perperam, iudicio quidem nostro, eleganter a C. Frickio conclusa, utpote irrita, confutare noluit [2], quoniam ab eo critico, collatis Eusebii Sosibiique rationibus, non plane cum tempore legis a Theopompo latæ congruere ephoratus inventionem euincitur [3]. Argumento enim firmo caret qui ad certum regem institutum quoddam referens cum temporum ordine pugnat.

Sed has rationes licet fictas esse concedamus et tum primum nomina ephororum in albo inscripta fuisse, cum

1 *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 39 sqq.

2 *Id.*, ibid., pag., 41.

3 *Frick*, De Spartan. Ephor., pag. 10 sqq.

iam a vicesimo anno *Olympionicarum* nomina inscriberentur, quod minime non floruisse antea ephoratum comprobaret[1]. Omittatur etiam studium Cleomenis quo ad favorem plebis sibi conciliandum contio eius instincta fuerit. Phylarchum secutus est Plutarchus omnem rem edisserens. Frustra autem contendit Dumius conscium fuisse Cleomenis Phylarchum, qui arcta cum rege familiaritate erat coniunctus, ideoque famæ in regia domo acceptæ certiorem. Ne fides Phylarcho adhibeatur et propria eius indoles et stoïcorum quorumdam notissima consilia, inter quos fuit Sphærus efficiunt[2]. Veteres mores illi per regis ministerium instaurare nitebantur. Quæ cum Dumium minime lateant, ut Plutarchi opinionem confirmet, hanc ait præcipuæ et peruulgatæ famæ loco Cleomenis tempore habitam esse de ephoris[3].

Hoc sua sponte apparet, nec minus illud quod unum seponimus: non erat hæc fama prior, nec ullum eius ante Platonem uestigium dignoscitur.

Ad duas enim opiniones colliguntur omnia quæ ab antiquis de ephoratu tradita sunt. Altera munus illud, ut pleraque Spartanorum instituta Lycurgi ætati adsignatur, altera Theopompi.

Quas simul, eodem puncto temporis gratia ualuisse

1 *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1886, uol. 41, pag. 580-581.

2 Quod iam procul dubio est. Vid. *Haug.*, Die Quellen Plutarchus, etc., pag. 79-84. Cf. *Schœmann*, Agis et Cleomenes, pag. 203 sqq. Obiecit iam Dumio huius fontis usum *R. Lallier*, in Rev. hist., tom. XI, 1879, pag. 182.

3 *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 41.

scriptis octoginta ciuibus, ad nouas res moliendas se coactum esse necessitate demonstrare in animo habuit. Consilium igitur et facinus ut excuset, in contione ephoros initio a regibus ex amicis lectos, nihil aliud primum atque eorum ministros et uicarios fuisse declarat. Qui ab humili ortu paulatim ui et dolo ad insolentem hanc potentiam se euexerint.

His uerbis additamentum ad secundam illam narrationem, quam Plato ceterique tradunt, adicitur. Ephori enim non tantum a Theopompo creati, sed et absentium regum uicarii et e regio comitatu adsciti inde esse ostenduntur.

Quam sententiam priori anteferens, uir doctissimus G. Dumius veri similiorem esse conatus est demonstrare [1].

Hæc tamen cur in dubium uocetur nemo, nec præsertim G. Dumius ipse ignorat, qui perperam, iudicio quidem nostro, eleganter a C. Frickio conclusa, utpote irrita, confutare noluit [2], quoniam ab eo critico, collatis Eusebii Sosibiique rationibus, non plane cum tempore legis a Theopompo latæ congruere ephoratus inventionem euincitur [3]. Argumento enim firmo caret qui ad certum regem institutum quoddam referens cum temporum ordine pugnat.

Sed has rationes licet fictas esse concedamus et tum primum nomina ephororum in albo inscripta fuisse, cum

[1] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 39 sqq.

[2] *Id.*, ibid., pag., 41.

[3] *Frick*, De Spartan. Ephor., pag. 10 sqq.

iam a vicesimo anno *Olympionicarum* nomina inscriberentur, quod minime non floruisse antea ephoratum comprobaret[1]. Omittatur etiam studium Cleomenis quo ad favorem plebis sibi conciliandum contio eius instincta fuerit. Phylarchum secutus est Plutarchus omnem rem edisserens. Frustra autem contendit Dumius conscium fuisse Cleomenis Phylarchum, qui arcta cum rege familiaritate erat coniunctus, ideoque famæ in regia domo acceptæ certiorem. Ne fides Phylarcho adhibeatur et propria eius indoles et stoïcorum quorumdam notissima consilia, inter quos fuit Sphærus efficiunt[2]. Veteres mores illi per regis ministerium instaurare nitebantur. Quæ cum Dumium minime lateant, ut Plutarchi opinionem confirmet, hanc ait præcipuæ et peruulgatæ famæ loco. Cleomenis tempore habitam esse de ephoris[3].

Hoc sua sponte apparet, nec minus illud quod unum seponimus: non erat hæc fama prior, nec ullum eius ante Platonem uestigium dignoscitur.

Ad duas enim opiniones colliguntur omnia quæ ab antiquis de ephoratu tradita sunt. Altera munus illud, ut pleraque Spartanorum instituta Lycurgi ætati adsignatur, altera Theopompi.

Quas simul, eodem puncto temporis gratia ualuisse

[1] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1886, uol. 41, pag. 580-581.

[2] Quod iam procul dubio est. Vid. *Haug.*, Die Quellen Plutarchus, etc., pag. 79-84. Cf. *Schœmann*, Agis et Cleomenes, pag. 203 sqq. Obiecit iam Dumio huius fontis usum *R. Lallier*, in Rev. hist., tom. XI, 1879, pag. 182.

[3] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 41.

testatur fortasse locus ille de Platonicis epistolis desumptus ubi scriptor uerba Platonis usurpans ab Herodoti Xenophontisque tamen parte stat[1].

At si ultra Platonem quæritur, nihil amplius atque horum narratio inueniri potest.

Restat nihilominus ut aliqua posterioris famæ reddatur ratio, cum de auctore eius nihil uel conici possit quod ad ueritatem accedere comprobetur[2].

Breui primum forma, ineunte quarto sæculo, expressa et ad temperati regiminis exemplum redacta[3], mox illa narratio colloquii speciem induit[4]; creuit denique in argumenta quibus iniuriæ ab ephoris illatæ regibus explicarentur[5].

Quam ita fuisse amplificatam ne miremur obstat eorum memoria qui de rebus spartanis ante Platonem ipsum scripserunt[6]. Atqui Græcis apud quos fere omnes aut tyrannis antiquitus aut recentiori ætate populare imperium præualuerat, insolitum electorum magistratuum munus uidebatur, cuncta tractantium ciuitatis negotia, dominantiumque in reges. Quod unicum talis instituti specimen præstabatur. Obsoleuerat autem notio ætatis

[1] Cf. loc. laudat. sup., pag. 23.

[2] Thibronem fortasse suspicari possumus. Cf. sup., pag. 25, ad not. 3.

[3] Ut apud Platonem.

[4] Sic apud Aristotelem.

[5] Huic excusationi dat ansam narratio Plutarchi, in Cleomen. uita, 10.

[6] Cf. sup., pag. 9.

uetustæ, qua Spartani a communi ceterarum ciuitatum condicione haud tam longe abhorrere potuerant. Cum vero enodari singulare mandatum necesse esset, a noto rege id profectum crediderunt Græci, proprio genio instincti. Eo modo rei sub oculis positæ, definiendi studio impulsi, certam originem tribuerunt et certum auctorem. Iam notauit Gilbertus ideo a Platone, sub imagine freni regiæ potestati adhibiti, officium ephororum depictum fuisse, quod reipsa, sera ætate, gubernacula civitatis ephori tenerent[1].

Accedunt ad hæc ea quæ luculentissime enucleauit *Ed. Meyer* : nempe dux Pausanias cum ephoris contendens, cum uellet eorum potentiam euellere, ut posterius Lysander regium imperium, eiusmodi de ephororum mandato rumores in uulgus sparsit[2]; hos magistratus a regibus olim creatos esse et ab eisdem primam auctoritatem accepisse ut fingeret, impulit eum propria utilitas. Inde fortasse curta aut amplificata et ad artem digesta euaserunt uetera oracula quibus spartana constitutio ordinata fuisse credebatur.

Cui plane assentimur : sed multo ante Pausaniam hoc fuisse inceptum arbitramur et e superiori fonte derivatam hanc oraculorum mutationem. Si quis enim ad Herodoti narrationem[3] animum revocet, in ea oraculum uersibus

[1] *Gilbert*, Handb. der griechisch. Staatsalterth., pag. 16, ad not. 1.

[2] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1886, uol. 41, pag. 578.

[3] *Herod.*, I, 65.

inclusum ad laudem Lycurgi editum leget, quod, ut *Ed. Meyer* monuit, additis quibusdam uersibus in Ephorum transiit et inde in Diodorum et Plutarchum, quamuis hic non ab Ephoro ipso hausisse uideatur, quia eadem fere tradit, sed ea prosa oratione pronuntiata fuisse declarat[1]. Namque ab Ephoro profecta esse cuncta quæ de spartanis rebus prodita sunt quarto sæculo *Ed. Meyer*, nostro quidem iudicio, elegantissime demonstravit[2].

Quæ sequuntur apud Diodorum et Eusebium carmina eo magis ad eamdem originem reuocanda uidentur, quo uberius laudant Tyndaridas et Menelaum et antiquos Lacedæmoniorum heroas qui duplici regum stirpi fauere existimabantur, nec minus θεοτιμήτους βασιλῆας[3].

Nunc meminisse oportet quæ de Herodoti narratione supra diximus[4] : nempe non sua sponte tradit scriptor Lycurgum spartanæ constitutionis conditorem salutatum esse a Pythia, sed e quorumdam sententia (τινες λέγουσιν). Mox quæ a Lacedæmoniis ipsis asserantur exponit.

Unde autem profecta esse sanctionis delphicæ mentio et a quibus laudata uidebitur, nisi a regia factione? antiquitus enim Apollinis oraculum quasi per regum ministerium consulebatur. Nam a regibus electi erant illi quatuor viri Pythii qui Pythiam interrogabant iidem-

1 *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1887, uol. 42, pag. 81.

2 V. *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1887, uol. 42, pag. 87 sqq.

3 Cf. *Eumdem*, ibid. Quanquam nos non latet coniecturis tantum ea consecutum esse scriptorem. At nihil certius in hac re proferri potest. Cf. *Plut.*, Lyc. 6.

4 Cf. sup., pag. 16 sqq.

que soli cum regibus edita uaticinia cognoscebant. Diu fuit communis ciuitati et regibus patronus Apollo [1]. Cuius iussu spartanas leges olim conditas Tyrtæus ait [2].

Multo igitur ante Herodoti et Pausaniæ spartani tempora et regum imperio fauisse Pythiam et in laudem regum uaticinia omnia esse conuersa concludendum est.

Ex quo denique intellegitur cur omnino sileant de ephoris et carmina ab Herodoto aliisque relata, et *rhetræ* quæ carptim ex antiquo consuetudinis iure reliquiæ collectæ parum ad enodanda Spartanorum instituta proficiunt.

His collatis, quæ de ephoris ab Herodoto et Xenophonte tradita sunt accipere licet, dum ea quæ non nisi a pluribus hominum ætatibus proferri potuerunt, non uni legum conditori tribuamus. Quid enim nostra interest Lycurgo ipsi adsignare instituta quæ in unum eumdemque uirum apud uteres uulgus congerere solebat? Non aliter apud Romanos Romulo, Numæ Pompilio aliisque adscripta sunt quæ lento demum morum progressu recentiores antiquitatis interpretes inchoata et stabilita esse euicerunt. Nonne perhibetur, exempli gratia, nummorum argenteorum et aureorum Spartæ a Lycurgo usus prohitus esse, cum constet multis post Lycurgo annis nummos cudi cœptos esse?

Illud igitur e uerbis Herodoti Xenophontisque tantum coniciamus per quintum sæculum a Spartanis conuersa

[1] *E. Curtius*, Histoire grecque (translat. franco-gallic., auct. *Bouché-Leclercq*), tom. I, pag. 263. Cf. *Herod.*, VI, 51-61. Quoties erat nova luna, sacrificabant bini reges in templo Apollinis.

[2] *Tyrtæus*, ap. *Plut.*, Lyc., 6.

esse quæ de ephoratus institutione memoriæ prodita fuissent; ex additamento a Platone et ab Aristotele priori narrationi adiecto, in Græcia sera ætate regi uni huius magistratus inuentionem esse tributam. Quod nihil aliud nos docet, quam fabulam ipsam; inde hoc tantum eruere licet posterioris narrationis auctores uera ephororum primordia ignorantes, ad id tempus ea contulisse, cum maiore quam antea potestate ephororum munus ornatum apparuerit.

De Cleomenis apud Plutarchum sententia quæ quidem tertia narratio profertur recte iudicasse nobis *Ed. Meyer* uidetur, qui restitutam esse ibi ineuntis ephoratus historiam arbitratur, eo iuuante indicio quod ad tribunal ephororum ter uocati reges adesse cogebantur [1].

Utcumque erit, ultima omnium edita sunt quæ Cleomenes apud Plutarchum posuit, nec aliis testimoniis munita.

Unde, ad summam, concludendum est quod sæpissime allatum esse non ignoramus, Herodoti Xenophontisque uera testimonia fuisse et ephoratum in antiquissimis iis institutis numerandum esse quorum origo uulgus latebat. Hoc autem munus, quod qualeue fuerit nullo quidem modo nisi coniecturis adumbrari potest.

Ex altera parte quæ tradita sunt a Platonis tempore usque ad Plutarchum (in Cleom. uita), congruentia quidem ad Theopompi personam, cum ratione Herodoti Xenophontisque conciliari legitimum est, si modo illius regis

[1] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., 1886, uol. 41, pag. 581.

ætate magistratuum hoc collegium maiori quam antea potestate instructum esse cum Kanio[1] aliisque probamus.

Itaque non satis elucet cur temperamentum hoc a Dumio et a Gilberto qui illi nuper assensus est a uera inquirendi et concludendi ratione prorsus recedere contendatur[2].

Theopompo ætate anteiuit ephororum munus, quod quidem in maius ad huius regis tempora auctum esse ueri simile est.

[1] *Kan.*, Disput. antiquar. de Ephor. Spartan., pag. 25 sqq.

[2] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 33 sqq. Cf. *Gilbert*, Handb. der Griechisch. Staatsalterth. Erst. Band, pag. 15 sqq.

II.

QUID CENSENDUM VIDEATUR DE EPHORORUM ORIGINE.

Cum in incerto relinquantur quæ ad illustranda ephoratus primordia a ueteribus tradita sunt, quærendum est quid apud recentes antiquitatis interpretes disputatum sit, et quæ sententia, qualiscumque uideatur, coniectaneis factis, utpote simillima uero, proferatur in medium.

Unde duxerunt originem suam ephori ?

Hos G. Dumius euincere conatus est, e Phylarchi in Plutarchum translata narratione, olim a regibus e numero amicorum designatos esse qui dum ipsi bellorum causa abessent iudicia agerent et regum mox illos se ministros et quasi uicarios (*stellvertreter*) præstitisse [1].

Quod profecto veritatis speciem, primo saltem obtutu, præbet, præsertim cum recordatione consideramus Dorienses in continuis bellis versatos esse, ex eo tempore quo primum Spartam occupauerunt. Quo latius enim eorum imperium proferebatur, eo maiori cura ne subacti Achaicæ stirpis incolæ rebellarent, uiciniue laconicum agrum inuaderent cauendum erat. Hoc autem negotium ut exerceretur, ciuitati, præter reges, ministris opus esse

[1] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 39-54.

facile perspicitur. Bella præsertim messenia constat magni momenti fuisse et in constituendo Spartanorum imperio et in ordinanda ciuitate. Nam, dum messenia oppida oppugnabant Spartani, plus semel intestinis discordiis urbs laboravit et, occupata Messenia, ciuilibus motibus agitatam esse Spartam nouimus. Quos etsi diserte nemo scriptorum qui quidem supersunt exposuit, testantur tamen et Polydori regis cædes (Paus., III, 3, 2, sqq, 11, 16), et obscura illa Partheniarum seditio quam ab Ephoro relatam, Strabo, Dionysius, Iustinus [1] prodiderunt. In quale tum discrimen adducta civitas sit conicere datur e uerbis Iustini qui Helotas incepti conscios et participes fuisse tradit, denique de patrimoniis certatum esse. Accedunt quæ accepimus de metu, post bellum messenium, apud Spartanos concito, ne quando deuicti ac subditi rebellionem pararent ; ut dominationem obtinerent, usu continuo exercitati, nunquam, per longos annos, uictores de manibus arma deposuerunt.

Hæc autem omnia, quamuis rationem aliquo modo reddant cur latius arbitrium ephoris permissum sit, non eos ab ullo rege creatos esse necessario euincunt. Quin, ne collegium e regum uicariis constitisse credamus, nonnulla obstant.

Primum, nullo testimonio a ueteribus tradito ephori hac condicione administrasse perhibentur, omissa narratione Phylarchi a Plutarcho in uita Cleomenis prodita. Cui cum Dumius præcipuam fidem addat, nos diffidere

[1] *Strabo*, VI, pag. 279. *Dionys.*, fr. XVII, 1-2. *Iustin.*, III, 4.

contra coegerunt causæ iam supra prolatæ [1]. Nunquam, autem, ueteres, nisi sera ætate, ephoros uicariorum et quasi « maiorum palatii » munus a regibus tenuisse indicauerunt.

Non satis, præterea, si hac sententia stamus, intellegitur cur sæpe ephori, mandato ciuitatis fungentes, ne in regia domo deficeret proles cauerint, et omnem regiarum familiarum disciplinam, quæ quidem pertineret ad rei publicæ commoda, rexerint. Haud ambiguum de ea re Herodoti testimonium est, dum de Anaxandrida aliisque regibus disserit qui centum circiter annis bella Persica præiuerunt [2]. Publice apud eum iubent ephori et, ciuitatis nomine, deliberata re cum patribus, regibus imperant, aut testes adhibentur. Quod quidem munus aut simile regum ministris alias attributum esse nouimus. Ubique uero a regia familia ipsa illud adsignatur ; Spartæ populi patrumque iussu mandatum suum exsequebantur ephori, ne regia stirps, quam a numine ipso deriuabant aut exstingueretur, aut supposita prole corrumperetur [3].

At non tantum regum uitam priuatam, iam ante bella Persica, ephoris obnoxiam fuisse Cleomenis I exemplum nos docet, qui, exercitu domum reducto, ab aduersariis ad ephoros accusatus est quod donis corruptus, urbem Argos, quam expugnare potuisset, non cepisset [4].

[1] Cf. sup., pag. 3, ad not. 1.
[2] Vid. sup., pag. 18.
[3] Vid. sup., pag. 18-19. Cf. *Plat.*, Alcibiad., pag. 121 C.
[4] *Herod.*, VI, 82.

Regum enim ut reliquam ciuitatis disciplinam inspicere ephoris antiquitus mandatum est, quod ratione a Dumio adlata ægre expeditur. Nempe « uerisimile est, inquit ille, ephoris ad id tempus (id est Theopompi) aliquam rerum publicarum custodiam traditam fuisse, quod consequitur e tradita fama et e posteriori rerum statu[1] ».

Quid ualeat ad hæc comprobanda tradita a ueteribus fama iam manifestum est, cum neque uetustiora Herodoto ulla de ephoris supersint testimonia, nec uerbum ullum de concessa ephoris custodia ciuitatis, ad Theopompi ætatem, posteriora documenta memorent. Aliunde expeditum est, ut instituti cuiusuis enodetur origo, de eiusdem incrementis argumenta desumere; legitimum, quidem, hoc loco, fatemur, quia priora desunt ad illud, de quo agitur, documenta. Propius tamen ad ea accedamus. A quo denique munus hoc ephori acceperunt? A regibus? At non illis potestas eius modi contingebat, ne homericis quidem regibus, si modo apud Spartanos regiam dignitatem homericæ βασιλείᾳ similem fuisse concedamus, quod etiam in dubio ponendum est. Nam et heroica ætate senes a regibus, ut quæque grauiora inciderant, consulebantur aut contio populi armati, nec usquam, uel in Græciæ annalibus, uel in Romæ primordiis a rege ullo talia ulli uiro mandata esse proditum est.

1 *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 92: Wahrscheinlich wurde ihnen (ephoris) gleichzeitig eine gewisse Aufsicht uebertragen — dies folgt aus der Tradition und den Rueckschluessen der spaetern Zustaende.

Ad principatum Cæsarum descendere et ad « amicos Augusti » animum referre debet qui delegationem eiusmodi a principe profectam quærit.

Hic tamen Aristotelis consideretur locus[1] quo « non ephoris a patribus rationes reddi asserit et errare qui tantam ephoris potestatem tribuat ». Inde sequitur, si ab incrementis ephoratus eiusdem primordia æstimantur, hunc potius ex arbitrio senatus quam regum pependisse.

Ut facilius intellegeretur unde orta esset ea auctoritas, qua collegium illud in omni re publica inspicienda utebatur, fuere qui conicerent[2] lege, incerto tempore lata, fortasse post secundum bellum messenium et ante regnum Anaxandridæ et Aristonis, regibus imperatum esse ut semper consentientibus animis tractarent negotia quæ ad rem publicam pertinerent et inde euenisse ut ex alia lege, cum minime concordes reges essent, ephori, utpote eorum uicarii, ciuitatem gubernarent quamdiu contra decreta protraheretur regum discidium.

De priore lege nihil apud ueteres exstat, nisi ad eam referatur quod Aristoteles dixit : « Discordiam regum, iudicio Spartanorum, ciuitatis stabiliendæ rationem quandam esse[3] ». Hoc profecto dictum ambiguum est, nec certam legem necessario designare uidetur.

De posteriore autem lege, quam ut rogatam esse cre-

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 18. 1271ª, 6-7. Bekk. mai.

[2] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 92. Cf. pag. 81-89 et pag. 94 sqq.

[3] *Arist.*, Pol., II, 6, 20. 1271ª, 25-26. Bekk. mai. *καὶ σωτηρίαν ἐνόμιζον τῇ πόλει εἶναι στασιάζειν τοὺς βασιλεῖς.*

damus sententia comprobata egemus, exemplum Cleomenis I in medium profertur. At is cum Aristonem et deinceps Demaratum filium Aristonis de regno depellere conatur, non ephori, sed gentile oraculum Apollinis, posteaque, Pythiæ detecta fraude, populus (ὁ δῆμος) de ea re statuit. Ad ephororum quidem tribunal Cleomenes idem accusatus a populo demum iudicatur, neque aliud agunt ephori quam causam ut cognoscant et dent iudices [1].

Adde quod ne ueteri quidem ætate interdum cessare animaduertimus hanc auctoritatem et curam ephororum, cum inter se reges consentiunt, quod tamen in hoc decursu temporis certe nunquam euenisset, si nihil aliud quam absentium aut inter se dissidentium regum uicarii exstitissent. Nonne Cleomenes idem, priusquam egisset cum Aristone, collegium consuluit de eiciendo e terra laconica Samio Mæandrio qui donis corrumpere reges et primores moliebatur [2] ?

Ephoros tamen nihil regum absentia aut discordia profecisse haud contendimus, cuius rei multa Dumius collegit exempla. Sed hanc auctoritatem illis lege certa tributam esse periculosius est affirmare. E testimoniis hoc tantum eruere legitimum est, dissentientibus regibus, primum populum, deinde senatum statuisse. Nec fuisse regium donum antiquitus eam, qua ornabantur ephori, ciuitatis omnis inspiciendæ curam pro certa, quin immo pro ueri simili sententia est ponendum.

[1] *Herod.*, VI, 51-82.
[2] *Id.*, III, 148.

Ad principatum Cæsarum descendere et ad « amicos Augusti » animum referre debet qui delegationem eiusmodi a principe profectam quærit.

Hic tamen Aristotelis consideretur locus[1] quo « non ephoris a patribus rationes reddi asserit et errare qui tantam ephoris potestatem tribuat ». Inde sequitur, si ab incrementis ephoratus eiusdem primordia æstimantur, hunc potius ex arbitrio senatus quam regum pependisse.

Ut facilius intellegeretur unde orta esset ea auctoritas, qua collegium illud in omni re publica inspicienda utebatur, fuere qui conicerent[2] lege, incerto tempore lata, fortasse post secundum bellum messenium et ante regnum Anaxandridæ et Aristonis, regibus imperatum esse ut semper consentientibus animis tractarent negotia quæ ad rem publicam pertinerent et inde euenisse ut ex alia lege, cum minime concordes reges essent, ephori, utpote eorum uicarii, ciuitatem gubernarent quamdiu contra decreta protraheretur regum discidium.

De priore lege nihil apud ueteres exstat, nisi ad eam referatur quod Aristoteles dixit : « Discordiam regum, iudicio Spartanorum, ciuitatis stabiliendæ rationem quandam esse[3] ». Hoc profecto dictum ambiguum est, nec certam legem necessario designare uidetur.

De posteriore autem lege, quam ut rogatam esse cre-

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 18. 1271ª, 6-7. Bekk. mai.

[2] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 92. Cf. pag. 81-89 et pag. 94 sqq.

[3] *Arist.*, Pol., II, 6, 20. 1271ª, 25-26. Bekk. mai. καὶ σωτηρίαν ἐνόμιζον τῇ πόλει εἶναι στασιάζειν τοὺς βασιλεῖς.

damus sententia comprobata egemus, exemplum Cleomenis I in medium profertur. At is cum Aristonem et deinceps Demaratum filium Aristonis de regno depellere conatur, non ephori, sed gentile oraculum Apollinis, posteaque, Pythiæ detecta fraude, populus (ὁ δῆμος) de ea re statuit. Ad ephororum quidem tribunal Cleomenes idem accusatus a populo demum iudicatur, neque aliud agunt ephori quam causam ut cognoscant et dent iudices [1].

Adde quod ne ueteri quidem ætate interdum cessare animaduertimus hanc auctoritatem et curam ephororum, cum inter se reges consentiunt, quod tamen in hoc decursu temporis certe nunquam euenisset, si nihil aliud quam absentium aut inter se dissidentium regum uicarii exstitissent. Nonne Cleomenes idem, priusquam egisset cum Aristone, collegium consuluit de eiciendo e terra laconica Samio Mæandrio qui donis corrumpere reges et primores moliebatur [2] ?

Ephoros tamen nihil regum absentia aut discordia profecisse haud contendimus, cuius rei multa Dumius collegit exempla. Sed hanc auctoritatem illis lege certa tributam esse periculosius est affirmare. E testimoniis hoc tantum eruere legitimum est, dissentientibus regibus, primum populum, deinde senatum statuisse. Nec fuisse regium donum antiquitus eam, qua ornabantur ephori, ciuitatis omnis inspiciendæ curam pro certa, quin immo pro ueri simili sententia est ponendum.

[1] *Herod.*, VI, 51-82.
[2] *Id.*, III, 148.

Hanc ceteroquin apud Plutarchum in Agidis uita reperimus, hoc utitur Agis argumento. Haud aliter postea locutus est Cleomenes. Easdem ob causas eorum contiones æque de se suspicionem faciunt[1].

Quare mandatam esse olim ephoris a regibus ciuitatis totius inspiciendæ curam in dubium uocandum est.

At iuris dictionem saltem a regibus ephori acceperunt. Quod ne illis quidem credere licet qui regiam dignitatem apud Spartanos arbitrantur fuisse similem ei quæ heroica ætate apud ceteros quoque Græcos fuerat. Nam et apud Homerum et apud Hesiodum, quamuis *δικάσπολοι* aut *θεμιστόπολοι* frequenter reges dicantur[2], non tamen soli ius administrabant; sed eis adesse iudicantibus principes, id est *γέροντας* et huius muneris aliquas partes suscepisse e testimoniis elucet[3]. Non igitur aliis reges committere soli poterant quod ne ipsi quidem totum haberent.

Quin etiam regibus ætatis heroicæ, quoad pertinebant eorum officia ad ius dicendum, spartanos reges vel antiquissimis temporibus, æquiparare leue est. Illud enim tantum de litibus ad regale iudicium delatis nouimus, illos de *epiclerorum* filiarum nuptiis aliisque rebus ad iura familiarum pertinentibus, de adoptionibus, de uiis publicis et inde ortis actionibus cognoscere et controuersias diri-

[1] *Plut.*, Agis, 10. Cleom., 10. Cf. sup., pag. 29 sqq.

[2] *Iliad.*, I, 237. *Odyss.*, XI, 185. Cf. *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 50.

[3] *Iliad.*, XVIII, 503 sqq. Cf. *Hesiod.*, Op. et Dies, 38 sqq. et 261.

mere solitos esse[1] Maiora penes eos fuisse olim iura quis contendat? Mirum tamen foret ephoris, inter amicos suos electis, reges absentes nihil aliud commisisse quam lites e ciuilibus contractibus ortas, quæ, ceteroquin, e moris antiqui et solemnis consuetudinis præceptis quoque pendebant. Amicos uero istos regis, ut in transitu dicamus, quos inducit Dumius[2] a Cleomene I usque ad Agidem IV, sæpe cum rege ad ephororum tribunal uenisse, nunquam in ephororum collegio uersatos esse comperimus. At tyrannidem meditantes Agis IV et Cleomenes III quosdam e familiaribus et agnatis in illud intromiserunt suis[3].

Multo difficilius etiam cum regia ephororum origine congruit sacramentum quo, singulis mensibus, inter se adstringebantur reges et ephori, cum illi se e constitutis rei publicæ legibus regnum gesturos esse, hi uero inconcussum a se regnum seruatum iri pollicebantur, ea condicione ut promissis reges starent[4]. Ita autem iuris iurandi composita uerba erant ut aduersus regium imperium ciuitas prouideret, nec ei, nisi munere populi, permanendi concederet ueniam. Officium huiusmodi susce-

[1] *Herod.*, VI, 57. *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., XIII, 2. *Arist.*; Pol., III, 9, 2. 1285ª, Bekk. mai. Cf. *Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 133-134. Cf. quod ad uias publicas attinet, reges spartanos cum *pontificibus* romanis.

[2] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 79-82.

[3] *Plut.*, Agis, 8. Cleom., 6.

[4] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., XV, 7.

pisse ephoros pro ciuitate nulla e lege putamus, sed potius ab antiqua consuetudine. Quod certe pristinis regum uicariis a Spartanis commissum esse mirum foret.

De hoc tamen nihil aliud quam conicere licet, cum solus Xenophon et eum secutus Nic. Damascenus[1] nos doceant; illud uero singulare merito haberetur, si magistratus a regibus olim electos ut ἐπωνύμους numerare ueteres solerent. Et Athenis et Romæ et in aliis antiquis ciuitatibus regum aut magistratuum fasti, ut archontum Athenis, consulum Romæ confecti sunt, qui nunquam ab ullis regiis ministris originem duxerunt. Immo notandum est rationes quaslibet ab antiquis usitatas et magistratuum indices referentes ab eo tempore sumere exordium quo hi magistratus loco regum ciuilibus motibus a solio depulsorum, omne in ciuitate imperium obtinuerint. Itaque, quoniam ephori ineunte æquinoctio autumnali, a quo tempore annum computabant Lacedæmonii, munus suum auspicabantur et ab eorum principe annus dicebatur[2], haud ueri simile est illos a regibus adlectos tanto decore ornatos esse. Ideoque planius euincitur

[1] *Nic. Damasc.*, pag. 315, edit. Tauchnitz.

[2] *Thucyd.*, V, 36. Cf. *Xenoph.*, Hellen., II, 3, 10, qui ephororum ἐπωνύμων album explicat « quorum auspiciis per septem et »uiginti annos bellum Peloponnesiacum gestum sit. Singulis annis »unum tantum tribuit ephorum quem collegii principem nuncu»pare possumus. Ceterum, utrum ἐπώνυμος per totum annum præ»fuerit, an reliqui per uices principatu ornati fuerint, non liquet». (*Kan*, Disputat. antiquar. de Ephoris Spartan., pag. 41, ad not. 2.)

quod supra dictum est [1], scilicet ephoros a rege Theopompo περὶ Ἔλατον institutos esse [2] fictæ narrationis loco esse habendum, qua facilius nomen certum scriptores indici ephororum præponerent. Iam animaduersum est a Clintone (Fast. Hellen., II, 3) non ad institutionem primam ephoratus hunc honorem referendum esse, quem demum Chilo collegio addidisse uideretur. De Chilone perpauca nouimus; sed cum ita se res habeat, meminisse licet nullos in fastis nuncupari magistratus, nisi hos a quibus anni descriptio et compositio penderet. Ab ephoro, uerbi gratia, intercalarem mensem anno additum esse, Agide IV regnante, a Plutarcho accepimus, ut per id tempus uectigal extraordinarium exigeretur [3]. Religioni autem arctissime coniunctum hoc officium erat et a sanctis tantum uiris usurpabatur. Nusquam ab eo reges des-

[1] Cf. sup., pag. 29 et 30.

[2] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 39: «Es ist nicht unwarhrscheinlich, dass der Name Elatos an der Spitze »der Ephorenliste stand; fuer uns bedeutet dann sein Name nicht »den ersten Ephor, sondern den, den man in spaeter historischer »Zeit fuer den ersten hielt, den man an die Spitze der Ephorenliste »gesetzt hatte. Fuer die spaete Entstehung spricht auch, dass Elatos »als Ephor eponymos oder wenigstens als erster Ephor hingestellt wird; es werden also dem unbewusten Streben der Tradition entsprechend, Zustaende, die wohl in historischer Zeit, kaum »aber zur Zeit Theopomps bestanden, in die alte Zeit verlegt.»

Cf. *Plut.*, Lyc., 7.

[3] *Plut.*, Agis, 16. De periœcorum uectigali conicit Schœmannus quia nullum pensitabant uectigal Spartani (*Schœmann*, Antiquit. Græc., pag. 282 (*Galuski*, Translat. franco-gallica).

titerunt, nisi coacti [1], neque in alienas unquam manus illud transiit, nisi post rerum ciuilium conuersionem. Quod enim delegari et mos uetabat et sacra.

Perspicua autem res est, cum sacra sua et cultus ephoris fuerit proprius et inde habuerint illi auspicia. Fieri etiam potuit ut eorum sacra cum uniuersa temporum constitutione qualem Spartæ reperimus coniuncta essent. Notauit enim Boeckhius octeteride usos Spartanos esse[2]; atqui nono quoque anno de cœlo ephori instituebant obseruationes quibus cognoscerent utrum continuari an aboleri regis utriusque dignitas deberet[3].

Ad numina lucifera pertinere hanc inspectionem recte monuit A. Schæferus[4]. Huius modi enim est illa Pasiphaë quam rite colebant ephori, in templo deæ incubantes, cum uaticinia capere uellent[5] et a Luna (Σελήνη) non seiungenda. Quæ, cum Cretensis dea fuerit, apparet quam bene conueniat huius cultus cum narratione ab Herodoto prodita[6]. Pasiphaës sacra antiquissima Thalamis erant haud procul a mari in confiniis Messeniæ atque Laconicæ[7];

[1] Cf. *Hauvette-Besnault*, De Archonte rege, pag. 3-17; Cf. romanum *regem sacrorum*.

[2] *Bœckh*, Zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen, pag. 10 sqq.

[3] *Plut.*, Agis, 11.

[4] *A. Schæfer*, De Ephoris lacedæmon. commentat., pag. 19.

[5] Comitia singulis pleniluniis haberi solebant (*Schol. ad Thucyd.*, , 69).

[6] *Herod.*, I, 65.

[7] *Schæfer*, De Ephor. lacedæmon. commentat., pag. 17. Cf. *Pausan.*, III, pag. 261, *E. Curtius*, Pelopon., II, 230.

eo aduectam e Creta et inde Spartam aduenisse deam prope est fidem. Nec ab Epimenide Cretensi superstitionem hanc Spartam esse translatam cum Urlichsio affirmarim [1]. Quid enim de Epimenide certi habemus, quem etiam commoratum Spartæ esse in dubium adducitur [2]? Exploratum hoc tantum seruetur, antiquissima culta fuisse Pasiphaës in Laconica sacra, et hæc ephoris addicta fuisse. Haud mirum, insuper, ab ultima uetustate Spartanis et Cretensibus communem fuisse cultum; nonne doricam gentem in Creta suam rei publicæ formam multo ante Spartanos nactam esse et Althamenem, qui apud Cretenses legum auctor perhibetur, quattuor hominum ætatibus maiorem Lycurgo omnium ueterum consensu traditum est [3]?

Illud contra mirandum esset, si regum uicariis ad Pasiphaës aram peculiare sacerdotium fuisset, cum reges gentilicium numen, Apollinem Pythium uenerarentur et missos publice ad Delphos legatos eligerent. Quæ familiari et hereditario iure sacerdotia exercebant, Iovis laconici et Iovis cælestis [4], ab assueto ephoris cultu et oraculo differunt. In his, ad summam, quæ ad religio-

[1] *Urlichs*, Rhein. Mus. fuer Philol., tom. VI, pag. 224 sqq.

[2] *Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 21 sqq. Cf. pag. 25.

[3] Cf. *Hermann*, Lehrbuch der griechisch. Staatsalterth. fünfte Aufl., 1884, c. 21, 7; et *Meyer*, Die Entwickl. der Ueberlief. ueber die Lycurg. Verfass. Rhein. Mus. fuer Philol., tom. XLI, 4, 1886, pag. 563.

[4] *Herod.*, VI. 57.

nem pertinerent, regibus aduersum uidetur fuisse collegium ephororum. Qui fieri potuit ut hæc diuersa sacra, ac sæpius inter se contraria oracula exstarent, si a regibus unquam electi et regiæ potestati obnoxii ephori fuissent?

Quas ob causas omnes, a nullo rege instituta esse ephororum munus et collegium arbitramur.

Quid igitur statuendum est de eorum origine?

Num ab optimatibus, ut ait Frickius, concessus est hic magistratus Minyis qui romanæ plebis uices egisse, eius quidem iudicio, uidentur? Cui sententiæ egregie explicatæ multa tamen obstant quin fauendum sit. Nam et Minyas, contra Herodoti testimonium [1], Spartæ permansisse ex hac coniectura necesse foret, et eosdem fuisse atque Parthenias [2], cuius rei nullum uestigium exstat. Aduersatur huic conclusioni grauissima Antiochi auctoritas [3] quæ recte a Schæfero magni æstimatur [4]. Qui uetus sane scriptor Partheniarum originem et fata narrat. Denique a Frickio positum est ad illos homines tuendos ephoris a Theopompo maiorem potestatem datam esse [5].

Multæ iam ut hæc colligantur, coniecturæ adducendæ sunt sine ullo testimonio; quid, si Minyæ postea in ciuitate

[1] *Herod.* (IV, 148), tradidit Minyas omnes in Theram insulam transiisse.

[2] *Frick*, De Ephoris Spartan., pag. 24.

[3] *Antiochus* apud *Strabon.*, VI, 278.

[4] Cf. *Schæfer*, De Ephoris lacedæm. commentat., pag. 10 et 11.

[5] *Frick*, De Ephor. Spartan. dissertat., pag. 30.

nunquam reperiuntur? Exstat et in dies eminet, tribunis creatis, romanæ plebis potentia. De Minyis autem illis actum esse credas post messenia bella; exciderunt ex hominum memoria illi, dum gerebantur spartanæ res, usque ad recentissima tempora, nec usquam comparuerunt.

Proxima huic opinioni stat Steinii sententia, qui plebi quoque in spartana ciuitate aduenticiæ concessam esse tutelam arbitratur, ephoratum scilicet[1]. Iam Schæferus[2] Laconicam olim in sex regiones distributam fuisse, Doriensibus seposita Sparta, monuerat et unicuique earum regionum præfuisse regem, ante Doriensium aduentum. Quinque autem regibus sublatis, eorum uice functos esse reges spartanos qui Theopompi tempore munus illud quinque ephoris mandarint. Hæc tamen Steinius solo ephororum et regionum numeri consensu niti recte animaduertit[3] et nouam addit rationem rerum.

Nempe antiquum, ut O. Muellerus, magistratum fuisse ephororum officium contendit, quod ipse etiam Lacedæmoniis Achaïcæ stirpis tribuit. Cum autem urbem Spartam in quinque uicos diuisam fuisse constet, iam ante Lycurgum singulis uicis singulos ephoros præfuisse conicit. Inde inter Lacedæmonios, facto « synœcismo » post subactam Spartam, antiquo iure ciuitatis orbatos necdum nouum ius adeptos et spartanam nobilitatem

[1] *Stein*, Die Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 11-15.
[2] *Schæfer*, De Ephoris lacedæm. commentat., pag. 5 sqq.
[3] *Stein*, Die Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 13.

ephoros constitutos esse ut lites e contractibus ortas dirimerent. Ita eos quasi *prætores peregrinos* Doriensium apud uictos Lacedæmonios stirpis achaïcæ e Steinii sententia effingere possumus. Quibus postea periœcorum cura contigit et mox post bella messenia ueterum ciuium et adlectorum in ciuitatem periœcorum iudices et duces euaserunt magistratus illi ad tempus Asteropi ephori[1], in concilia senatus prorsus admissi.

Quæ magna ex parte probabilia et ingeniose excogitata nec certis testimoniis comprobantur nec satis ostendunt quomodo, exstantibus regibus, ephori ad tantam potestatem peruenerint. Nam singulis uicis nullo singulos ephoros tempore præfuisse ueteres scriptores docent; solus magistratuum numerus cum uicorum numero conuenit et ex aliis magistratibus, Bideis, Agathoergis, Empeloris quinque uirorum collegia constare scimus, quibus tamen non eadem origo atque ephoris tribuenda est. Adde quod de uetere uel de nouo ciuitatis iure spartano nihil nouimus.

Haud aliter sentiendum est de E. Curtii opinione, qui, auctoritate O. Muelleri fretus, ante Doriensium aduentum exstitisse ephororum munus recte credit et duplici regiarum familiarum imperio post subactam Laconicam oppositum esse a Doriensibus, quia duplex regum spartanorum suboles achaïca stirpe orta erat, achaïcis institutis fulta[2]. Quæ insit huic coniecturæ pars ueri nec E. Cur-

[1] *Plut.*, Cleom., 10.

[2] *E. Curtius*, Hist. grecq. (transl. fr.-gallic., auctore Bouché-Leclercq), pag. 213, 215, 237, 249, 261.

tius, nec quisquam alius certe diudicare possit. Nam de regum spartanorum origine documenta desunt omnino, et quod dicit apud Herodotum Cleomenes I, Agiadum genere natus, se Achæum esse, de Agiadum prole tantum ualeret, etiamsi solum illud testimonium non e principis utilitate profectum esse constaret[1]. Adeo deficiunt ad explicandam spartanorum regum originem documenta ut astuta indole et dolosis consiliis Agidarum eorum achæam stirpem iudicari C. Wachsmuthius arbitretur[2]!

Alia ratione iam Kanius rem ante laudatos scriptores aggressus erat[3]. Nempe, aucta ephororum potestate, compensata ea putat fuisse quæ popularibus iuribus dempta erant additamento illo Lycurgeæ *rhetræ: αἱ δὲ σκολίαν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν*[4]. Quod Polydoro et Theopompo tribuitur[5]. Ita, fatemur, explicari posse sermones Platonis Aristotelisque et uerba *ψάλιον* et *μετριάσαντος*[6]. Nam reuera ponderatum hac ratione inter regum senatorumque potentiam et populi intemperantiam regimen inuentum a Theopompo, philo-

[1] *Herod.*, V, 72.

[2] *C. Wachsmuth*, Philol. Anzeig., 1872, pag. 45.

[3] *Kan*, Disputat. antiquar. de Ephor. Spartan., pag. 26-29.

[4] *Plut.*, Lycurg., 6, 7.

[5] Ceterum ibi proximam esse suam sententiam Kanius dicit ei quam Arnoldus ad Thucydid., I, pag. 646, et Hermannus, Antiquitat. laconic., pag. 67, prodiderunt.

Cf. *Kopstadt*, De rerum laconic. constitution. Lycurg. origin. et indole, pag. 128.

[6] Cf. sup., pag. 26 sqq.

sophorum quidem iudicio foret. « Regibus præcipue maiorem potestatem affectantibus, non uero senatui in Homœorum concilium mutato, institutis ephoris obuiam itum » censet Kanius.

At si *Homœorum*, id est optimatium et diuitum[1] a senatu partes susceptas fuisse libenter Kanio concedimus, non est cur illi assentiamur, cum tantam auctoritatem regibus tribuit ut in discrimen populi iura adducta sint. Ut omittamus quæ iam allata sunt unde ephoros a quovis rege institutos esse parum ueri simile sit[2], minime regum imperio inualescenti hoc instituto ciuitatem spartanam obstitisse credimus. Qui enim effingi potest regiam potestatem Theopompo regnante increuisse ? Nullo scilicet argumento, nisi Platonis et Aristotelis iam laudatis sermonibus, quibus traditur ille rex personam gessisse seruatoris et legum conditoris. Immo, ut horum uerba explanarentur, de aucta principum potentia concepta est illa fama, quam tamen Plutarchus, Platonem referens, non totam exprompsit. Nam in eo loco ubi de ephororum origine Platoni assentitur, non regum sed optimatium intemperanti dominationi ephororum frenum adhibitum esse asserit.

Res autem, Theopompo regnante, a Spartanis gestas statumque ciuitatis intuenti imminuta esse potius quam aucta regum potentia uidetur. Grauissima erant tempora, cum per bellum messenium disciplina uetus infracta

[1] Cf. infr., pag. 64 sqq.
[2] Cf. sup., ad cap. II.

esset. Qui ciuiles tunc motus conciti sint haud proditum est ; quibus sedati sint temperamentis, præter quod ad ephororum institutionem attinet Aristoteles breuissima notula non docet[1]. Hæc tamen parum profecisse nouimus e Pausania aliisque scriptoribus qui agitatam postea ciuitatem fuisse narrant[2]. Tantum aberat ut augeretur, ut senesceret iam apud Spartanos regia potestas.

Et multo antea inclinari inceperat illa, cui sensim præcipua munera optimates detraxerant. Nec sine discordiis præliisque id factum est : ipsius Lycurgi patrem accepimus in ciuili motu periisse, cuius necem casus regis Polydori imagine quadam simili rettulit. Et Lycurgi æqualis Charilaos eadem fere perpessus est, quo regnante, Aristotelis iudicio, « tyrannis in paucorum dominationem mutata est[3] ».

Ne longum sit, cum grauissima auctoritate demonstratum esse nouerimus[4], ut in plerisque Græciæ Italiæque ciuitatibus, ita Spartæ reges partem tantum pristinæ auctoritatis retinuisse quæ præcipue ad publicam religionem et ad [illegible] spectaret, probabile illud uidetur esse ephororum institutis, finem et metam quandam rerum publicarum [illegible]

[1] *Arist.*, Pol., VIII [illegible] [illegible]
[illegible]

[2] *Pausan.*, De motibus ciuilibus [illegible] III et IV. Cf. *Arist.*, Pol., [illegible]

[3] *Arist.*, Pol., VIII [illegible]

[4] *Fustel de Coulanges*, Cité antique, [illegible] pag. [illegible]

sionibus impositam esse. Eorum enim ministerio stabilita est dominatio paucorum.

Ut uenia concedi possit huic sententiæ, quæ pluribus explicabitur, necesse est meminisse primum nihil ad enodandam plane ephororum originem proficere quæ recentes antiquitatis interpretes exprompserunt, secum uero aut cum testimoniis quibusdam ueterum eadem pugnare ; deinde nulla exstare de primo ephororum exordio documenta, nisi inter se dissidentia. Desperandam igitur omnino et in medio relinquendam quæstionem constat, si accurata et certis testimoniis confirmata ratione ad eam explicandam utendum est. Itaque remissius in ea genus indagandi et ad uerum quam proxime adducta conclusio satis haberi debent.

Cum autem Theopompum ætate antecessisse, nec a rege ullo institutum esse ephororum munus nonnulla nos impulerint ut crederemus[1], restat ut quo circiter tempore potestate sua collegium uti inceperit, quæramus.

Hoc posito, exordium inde sumemus, quod omnes fere scriptores Spartam diu ciuilibus motibus turbatam, ad pacem et bene compositam reipublicæ formam, Lycurgi ætate, tandem reductam esse asseuerant. In eo consentire cuncta testimonia uix est opus dicere, quod notauit *H. Bazin*[2]. Nam et Herodotus[3] et Thucydides[4],

[1] Cf. sup., pag. 29-30.
[2] *H. Bazin*, De Lycurgo, pag. 66, 67.
[3] *Herod.*, I, 65.
[4] *Thucyd.*, I, 18.

posteaque Xenophon [1] et Plutarchus [2] eadem fere uerba usurpant ut statum Spartæ describant, qualis ante Lycurgum erat et qualis fuit in posterum lycurgea constitutione mutatus. Veteri ἀνομίᾳ nouam εὐνομίαν opponunt omnes, perpetuam famam uerbis quasi conceptis tradentes. Adde quod in ciuitate lycurgeam hanc formam per multa sæcula seruatam esse nonnulli scriptores contendunt [3].

Illam uero constat, ut optimatibus prodesset, infracta regum potentia, compositam esse. Cum Aristotelis et Plutarchi locis de Charilai tyrannide mire congruit Heraclides Ponticus eundem τυραννικῶς regnasse affirmans [4]. Cuncta denique uestigia quæ de hac rerum conuersione reperiuntur eodem ducunt : regiæ potestati successit, pro maxima parte, Spartæ ut Romæ et Athenis paucorum dominatio penes quos et iura et fundorum possessiones erant.

Sed dixerit forsitan aliquis : In hac constitutione quis locus est ephoris de quibus taceant, præter Herodotum Xenophontemque, ueteres scriptores, illæ quæ lycurgeæ uocantur *rhetræ*, et Tyrtæus ipse in carmine cui nomen Εὐνομία [5] ? Quomodo de ueterum testimoniis post Xeno-

[1] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., 5.

[2] *Plut.*, Lyc., 2, 5.

[3] *Isocr.*, De Pace, 95. *Plut.*, Lyc., 29. Cf. de fontibus Plutarchi ad hunc locum. *Fluegel*, Die Quellen in Plutarchs « Lykurgos ». Marburg, 1870.

Usus est Ephoro Plutarchus, quem reuera non ipsum excerpsit. Cf. *Meyer*, loc. cit. sup., ad pag. 28.

[4] *Heracl. Pontic.*, fr. ed. Didot, tom. II, pag. 210.

[5] *Plut.*, Lyc., 6.

phontem allatis, atque etiam de *rhetris* existimandum sit prius dictum est [1]; uersus quidem Tyrtæi commenticios esse non immerito suspicatus est *E. Meyer* [2], qui quinto sæculo nemini notam fuisse delphicam lycurgeæ constitutionis originem credit, de qua tamen loquitur apud Plutarchum Tyrtæus. Sed, ut hoc omittamus argumentum, minus mirum nobis quam Kopstadtio uidetur [3] poetam, cum breuiter et tribus demum uersibus rei publicæ spartanæ ratio describatur, non commemorasse ephoros. Tria enim ille corpora quibus fulta erat ciuitas et uetustissima, hominum memoria consacrata nominat : reges, patres et populum.

Nec ceteroquin Lycurgo ipsi tribuere ephororum munus uelim, cum incerta maneat, quamuis a doctissimis uiris inquisita, Lycurgi ætas. Nempe ob id unum quod instituto illi certum uolebant tempus ascribere, alii Lycurgum, alii Theopompum regem ephoratus auctorem existimauerunt. Quod certe temere temptatum esse comperimus.

Hoc tantum ratum esse confidimus quod in Creta euenisse dilucide exposuit Aristoteles [4]. Similes enim cretensibus cosmis ephoros esse declarat, et cosmos regibus successisse, senatores autem eosdem se in Creta et Spartæ gerere. Quæ pariter Athenis, Romæ et in aliis

[1] Cf. sup., pag. 35.

[2] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., tom. XLI, pag. 572.

[3] *Kopstadt*, De rer. lacon. constit. Lycurg. orig. et indole, pag. 119.

[4] *Arist.*, Pol., II, 7, 3-4. 1272a, 4-9, Bekk. mai.

ciuitatibus euenerunt ad certum annum referre legitimum est ; in spartana historia idem fieri nequit. Sed certe, Spartæ quoque, tum ita conuersus esse ciuitatis status incepit, ut grauissimi scriptoris uerba usurpem, « cum in prouincias districta et pluribus mandata regia potestas fuit[1] ». Superuacaneum ceteroquin esset repetere quæ eximie apud nos antea demonstrata sunt[2].

Si uero certum quasi diem ephororum inuentioni ascribendi spem abicimus, at saltem huic in ea lycurgea quæ dicitur, constitutione, locum adsignare in promptu est, modo nec uno die nec ab uno homine eam perfectam esse arbitremur.

Quin etiam ab eiusmodi sententia haud tam longe abhorret Plutarchus ipse qui tamen, ob explanatas supra causas[3], Theopompum ut ephoratus conditorem inducit. Nempe in cap. XXIX uitæ Lycurgi, cum sub Agidis, Archidami filii tempus immutata esse lycurgea instituta docet, hæc addit : « Ἡ γὰρ τῶν ἐφόρων κατάστασις οὐκ ἄνεσις, ἀλλ' ἐπίτασις τῆς πολιτείας καὶ δοκοῦσα πρὸς τοῦ δήμου γεγονέναι σφοδροτέραν ἐποίησε τὴν ἀριστοκρατίαν.

Et recte quidem hæc perspexit Plutarchus, cum e fontibus ab Ephoro manantibus, si minus ex Ephoro ipso hauriret[4] : populo cum fauere uideretur ephororum institutio, optimatium potentiam in maius auxit. Summa

[1] *Sumner Maine*, L'ancien droit (transl. fr.-gallic., auctore Courcelle-Seneuil), pag. 60 : « La royauté mise en commission ».

[2] *Fustel de Coulanges*, La cité antique, XIa edit., pag. 283-287.

[3] Cf. sup., pag. 29 sqq.

[4] Cf. sup., pag. 34.

scilicet rei in hoc posita est : quibus constiterit ciuibus populus ille qui a cunctis scriptoribus uocatur δῆμος.

Nec Athenas enim, nec Corinthum aut quamuis e doriensibus ciuitatibus cum Sparta conferre licet, cum temporum progressu, historiæ fide comprobato, compositam reipublicæ disciplinam deprehendere in promptu sit. Hæ ciuitates tardius quam Sparta ad optimatium dominationem peruenere; sed ibi morata est Sparta, dum mercatura et inde contractibus ortis exaggerataque hominum multitudine ceteræ urbes ad nouas res moliendas excitabantur[1].

Paucis autem constitisse hunc populum, cui nomen δῆμος, et paucioribus in dies cuncta docent testimonia. Cui, si Schœmanno credimus et *homœi* qui uocantur et quos uoce καλοὶ κἀγαθοὶ Aristoteles significat annumerandi sunt[2]. Nam *hypomiones*, ut ceteros ordines ciuitatis omittamus, his aggregare nolim quos sæpe Xenophon res nouas meditatos esse ostendit[3] et, ut Gilbertus[4], non ciues optimo iure fuisse libentius arbitrer.

Sed quo tempore primum hunc populum in contionem uenisse et de rebus suis egisse respicimus, minus enucleate apparent hæc omnia discrimina. Apud Herodotum

[1] *Fustel de Coulanges*, Cité antique (XI_a edit.), pag. 283-297. Cf. Étude sur la Propriété à Sparte. Séances et Travaux de l'Acad. des Sciences morales et politiques, nouvelle série, tom. XIV, 1880, pag. 859.

[2] *Schœmann*, Opusc. academ., I, 147.

[3] *Xenoph.*, Hellen., pass.

[4] *Gilbert*, Handbuch der griechisch. Staatsalterth. Erst. Band, pag. 42.

se in medium proferunt demum reges, senatus, ephori, populus qui homerica uirorum consilia, quod ad Lycurgi tempus, uel ad uicina tempora Lycurgo attinet, repræsentat aliqua specie, sed specie tantum. Nam de constitutione lycurgea nihil amplius accepimus quem nouam diuisionem factam esse huius populi et constitutum e triginta uiris, inter quos annumerandi bini reges, senatum ; relationes autem Lycurgo regibusque reseruatas esse in contione populi qui ratam esse legem solus iubebat. Nec alia ratione ea comperimus atque *rhetra* quadam a Plutarcho allata[1]. Cui si fidem adhibemus, apparet nihil incepisse, nihil actum esse per populum, cui leges antiquandi tantum aut sanciendi ius concessum erat, non earum excutiendarum aut emendandarum copia. Quid si centum circiter et triginta annis postea, Theopompo regnante, hanc reperimus rhetram: «Sin prauum quid populus statuerit, seniorum regumque esto discessionem facere[2]», id est contionem dimittere, quæ nunquam, nisi quibusque pleniluniis conuocabatur, et controuersiam transigendi aut quod uisum fuerit optimum assumendi potestate uti.

Creuerat igitur interim senatus auctoritas et ei quod Lycurgo tribuerat prior rhetra ius illud successerat. Hic seniorum cœtus qualis apud Homerum memoratur, cum eis qui propter ætatem consiliis tantum prodesse pos-

[1] *Plut.*, Lyc., 6, 7.

[2] *Plut.*, Ibid.. 15. αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ αρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν.

ephoros constitutos esse ut lites e contractibus ortas dirimerent. Ita eos quasi *prætores peregrinos* Doriensium apud uictos Lacedæmonios stirpis achaïcæ e Steinii sententia effingere possumus. Quibus postea periœcorum cura contigit et mox post bella messenia ueterum ciuium et adlectorum in ciuitatem periœcorum iudices et duces euaserunt magistratus illi ad tempus Asteropi ephori[1], in concilia senatus prorsus admissi.

Quæ magna ex parte probabilia et ingeniose excogitata nec certis testimoniis comprobantur nec satis ostendunt quomodo, exstantibus regibus, ephori ad tantam potestatem peruenerint. Nam singulis uicis nullo singulos ephoros tempore præfuisse ueteres scriptores docent; solus magistratuum numerus cum uicorum numero conuenit et ex aliis magistratibus, Bideis, Agathoergis, Empeloris quinque uirorum collegia constare scimus, quibus tamen non eadem origo atque ephoris tribuenda est. Adde quod de uetere uel de nouo ciuitatis iure spartano nihil nouimus.

Haud aliter sentiendum est de E. Curtii opinione, qui, auctoritate O. Muelleri fretus, ante Doriensium aduentum exstitisse ephororum munus recte credit et duplici regiarum familiarum imperio post subactam Laconicam oppositum esse a Doriensibus, quia duplex regum spartanorum suboles achaïca stirpe orta erat, achaïcis institutis fulta[2]. Quæ insit huic coniecturæ pars ueri nec E. Cur-

[1] *Plut.*, Cleom., 10.

[2] *E. Curtius*, Hist. grecq. (transl. fr.-gallic., auctore Bouché-Leclercq), pag. 213, 215, 237, 249, 261.

tius, nec quisquam alius certe diudicare possit. Nam de regum spartanorum origine documenta desunt omnino, et quod dicit apud Herodotum Cleomenes I, Agiadum genere natus, se Achæum esse, de Agiadum prole tantum ualeret, etiamsi solum illud testimonium non e principis utilitate profectum esse constaret[1]. Adeo deficiunt ad explicandam spartanorum regum originem documenta ut astuta indole et dolosis consiliis Agidarum eorum achæam stirpem iudicari C. Wachsmuthius arbitretur[2]!

Alia ratione iam Kanius rem ante laudatos scriptores aggressus erat[3]. Nempe, aucta ephororum potestate, compensata ea putat fuisse quæ popularibus iuribus dempta erant additamento illo Lycurgeæ *rhetræ*: αἰ δὲ σκολίαν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν[4]. Quod Polydoro et Theopompo tribuitur[5]. Ita, fatemur, explicari posse sermones Platonis Aristotelisque et uerba φλέγμαῖνον et μετριάσαντος[6]. Nam reuera ponderatum hac ratione inter regum senatorumque potentiam et populi intemperantiam regimen inuentum a Theopompo, philo-

[1] *Herod.*, V, 72.

[2] *C. Wachsmuth*, Philol. Anzeig., 1872, pag. 45.

[3] *Kan*, Disputat. antiquar. de Ephor. Spartan., pag. 26-29.

[4] *Plut.*, Lycurg., 6, 7.

[5] Ceterum ibi proximam esse suam sententiam Kanius dicit ei quam Arnoldus ad Thucydid., I, pag. 646, et Hermannus, Antiquitat. laconic., pag. 67, prodiderunt.

Cf. *Kopstadt*, De rerum laconic. constitution. Lycurg. origin. et indole, pag. 128.

[6] Cf. sup., pag. 26 sqq.

sophorum quidem iudicio foret. « Regibus præcipue maiorem potestatem affectantibus, non uero senatui in Homœorum concilium mutato, institutis ephoris obuiam itum » censet Kanius.

At si *Homœorum*, id est optimatium et diuitum [1] a senatu partes susceptas fuisse libenter Kanio concedimus, non est cur illi assentiamur, cum tantam auctoritatem regibus tribuit ut in discrimen populi iura adducta sint. Ut omittamus quæ iam allata sunt unde ephoros a quovis rege institutos esse parum ueri simile sit [2], minime regum imperio inualescenti hoc instituto ciuitatem spartanam obstitisse credimus. Qui enim effingi potest regiam potestatem Theopompo regnante increuisse ? Nullo scilicet argumento, nisi Platonis et Aristotelis iam laudatis sermonibus, quibus traditur ille rex personam gessisse seruatoris et legum conditoris. Immo, ut horum uerba explanarentur, de aucta principum potentia concepta est illa fama, quam tamen Plutarchus, Platonem referens, non totam exprompsit. Nam in eo loco ubi de ephororum origine Platoni assentitur, non regum sed optimatium intemperanti dominationi ephororum frenum adhibitum esse asserit.

Res autem, Theopompo regnante, a Spartanis gestas statumque ciuitatis intuenti imminuta esse potius quam aucta regum potentia uidetur. Grauissima erant tempora, cum per bellum messenium disciplina uetus infracta

[1] Cf. infr., pag. 64 sqq.
[2] Cf. sup., ad cap. II.

esset. Qui ciuiles tunc motus conciti sint haud proditum est ; quibus sedati sint temperamentis, præter quod ad ephororum institutionem attinet Aristoteles breuissima notula non docet[1]. Hæc tamen parum profecisse nouimus e Pausania aliisque scriptoribus qui agitatam postea ciuitatem fuisse narrant[2]. Tantum aberat ut uigeret, ut senesceret iam apud Spartanos regia potestas.

Et multo antea inclinari inceperat illa, cui sensim præcipua munera optimates detraxerant. Nec sine discordiis præliisque id factum est : ipsius Lycurgi patrem accepimus in ciuili motu periisse, cuius necem cædes regis Polydori imagine quadam simili rettulit. Et Lycurgi æqualis Charilaos eadem fere perpessus est, quo regnante, Aristotelis iudicio, « tyrannis in paucorum dominationem mutata est[3] ».

Ne longum sit, cum grauissima auctoritate demonstratum esse nouerimus[4], ut in plerisque Græciæ Italiæque ciuitatibus, ita Spartæ reges partem eam tantum pristinæ auctoritatis retinuisse quæ summatim ad publicam religionem et ad ducendos auspicato exercitus spectaret, probabile illud uidetur esse, ephoris institutis, finem et metam quandam rerum publicarum conuer-

[1] *Arist.*, Pol., VIII (V), 9, 1. 1313_a, 11, 25-27, Bekk. mai. *τοῖς τε ἄλλοις καὶ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχὴν...*

[2] *Pausan.*, De motibus ciuilibus post bella messenia, lib. III et IV. Cf. *Arist.*, Pol., V, 6, 1. 1306^b, 29, Bekk. mai., de Partheniis.

[3] *Arist.*, Pol., VIII, 10, 3 (V, 10). 1316^a, 34, Bekk. mai.

[4] *Fustel de Coulanges*, Cité antique, XI[a] edit., pag. 285-286.

sionibus impositam esse. Eorum enim ministerio stabilita est dominatio paucorum.

Ut uenia concedi possit huic sententiæ, quæ pluribus explicabitur, necesse est meminisse primum nihil ad enodandam plane ephororum originem proficere quæ recentes antiquitatis interpretes exprompserunt, secum uero aut cum testimoniis quibusdam ueterum eadem pugnare ; deinde nulla exstare de primo ephororum exordio documenta, nisi inter se dissidentia. Desperandam igitur omnino et in medio relinquendam quæstionem constat, si accurata et certis testimoniis confirmata ratione ad eam explicandam utendum est. Itaque remissius in ea genus indagandi et ad uerum quam proxime adducta conclusio satis haberi debent.

Cum autem Theopompum ætate antecessisse, nec a rege ullo institutum esse ephororum munus nonnulla nos impulerint ut crederemus [1], restat ut quo circiter tempore potestate sua collegium uti inceperit, quæramus.

Hoc posito, exordium inde sumemus, quod omnes fere scriptores Spartam diu ciuilibus motibus turbatam, ad pacem et bene compositam reipublicæ formam, Lycurgi ætate, tandem reductam esse asseuerant. In eo consentire cuncta testimonia uix est opus dicere, quod notauit *H. Bazin* [2]. Nam et Herodotus [3] et Thucydides [4],

[1] Cf. sup., pag. 29-30.

[2] *H. Bazin*, De Lycurgo, pag. 66, 67.

[3] *Herod.*, I, 65.

[4] *Thucyd.*, I, 18.

posteaque Xenophon [1] et Plutarchus [2] eadem fere uerba usurpant ut statum Spartæ describant, qualis ante Lycurgum erat et qualis fuit in posterum lycurgea constitutione mutatus. Veteri ἀνομίᾳ nouam εὐνομίαν opponunt omnes, perpetuam famam uerbis quasi conceptis tradentes. Adde quod in ciuitate lycurgeam hanc formam per multa sæcula seruatam esse nonnulli scriptores contendunt [3].

Illam uero constat, ut optimatibus prodesset, infracta regum potentia, compositam esse. Cum Aristotelis et Plutarchi locis de Charilai tyrannide mire congruit Heraclides Ponticus eundem τυραννικῶς regnasse affirmans [4]. Cuncta denique uestigia quæ de hac rerum conuersione reperiuntur eodem ducunt : regiæ potestati successit, pro maxima parte, Spartæ ut Romæ et Athenis paucorum dominatio penes quos et iura et fundorum possessiones erant.

Sed dixerit forsitan aliquis : In hac constitutione quis locus est ephoris de quibus taceant, præter Herodotum Xenophontemque, ueteres scriptores, illæ quæ lycurgeæ uocantur *rhetræ*, et Tyrtæus ipse in carmine cui nomen Εὐνομία [5] ? Quomodo de ueterum testimoniis post Xeno-

[1] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., 5.

[2] *Plut.*, Lyc., 2, 5.

[3] *Isocr.*, De Pace, 95. *Plut.*, Lyc., 29. Cf. de fontibus Plutarchi ad hunc locum. *Fluegel*, Die Quellen in Plutarchs « Lykurgos ». Marburg, 1870.

Usus est Ephoro Plutarchus, quem reuera non ipsum excerpsit. Cf. *Meyer*, loc. cit. sup., ad pag. 28.

[4] *Heracl. Pontic.*, fr. ed. Didot, tom. II, pag. 210.

[5] *Plut.*, Lyc., 6.

phontem allatis, atque etiam de *rhetris* existimandum sit prius dictum est [1]; uersus quidem Tyrtæi commenticios esse non immerito suspicatus est *E. Meyer* [2], qui quinto sæculo nemini notam fuisse delphicam lycurgeæ constitutionis originem credit, de qua tamen loquitur apud Plutarchum Tyrtæus. Sed, ut hoc omittamus argumentum, minus mirum nobis quam Kopstadtio uidetur [3] poetam, cum breuiter et tribus demum uersibus rei publicæ spartanæ ratio describatur, non commemorasse ephoros. Tria enim ille corpora quibus fulta erat ciuitas et uetustissima, hominum memoria consacrata nominat : reges, patres et populum.

Nec ceteroquin Lycurgo ipsi tribuere ephororum munus uelim, cum incerta maneat, quamuis a doctissimis uiris inquisita, Lycurgi ætas. Nempe ob id unum quod instituto illi certum uolebant tempus ascribere, alii Lycurgum, alii Theopompum regem ephoratus auctorem existimauerunt. Quod certe temere temptatum esse comperimus.

Hoc tantum ratum esse confidimus quod in Creta euenisse dilucide exposuit Aristoteles [4]. Similes enim cretensibus cosmis ephoros esse declarat, et cosmos regibus successisse, senatores autem eosdem se in Creta et Spartæ gerere. Quæ pariter Athenis, Romæ et in aliis

[1] Cf. sup., pag. 35.

[2] *Ed. Meyer*, Rhein. Mus., tom. XLI, pag. 572.

[3] *Kopstadt*, De rer. lacon. constit. Lycurg. orig. et indole, pag. 119.

[4] *Arist.*, Pol., II, 7, 3-4. 1272a, 4-9, Bekk. mai.

ciuitatibus euenerunt ad certum annum referre legitimum est ; in spartana historia idem fieri nequit. Sed certe, Spartæ quoque, tum ita conuersus esse ciuitatis status incepit, ut grauissimi scriptoris uerba usurpem, « cum in prouincias districta et pluribus mandata regia potestas fuit[1] ». Superuacaneum ceteroquin esset repetere quæ eximie apud nos antea demonstrata sunt[2].

Si uero certum quasi diem ephororum inuentioni ascribendi spem abicimus, at saltem huic in ea lycurgea quæ dicitur, constitutione, locum adsignare in promptu est, modo nec uno die nec ab uno homine eam perfectam esse arbitremur.

Quin etiam ab eiusmodi sententia haud tam longe abhorret Plutarchus ipse qui tamen, ob explanatas supra causas [3], Theopompum ut ephoratus conditorem inducit. Nempe in cap. XXIX uitæ Lycurgi, cum sub Agidis, Archidami filii tempus immutata esse lycurgea instituta docet, hæc addit : « Ἡ γὰρ τῶν ἐφόρων κατάστασις οὐκ ἄνεσις, ἀλλ' ἐπίτασις τῆς πολιτείας καὶ δοκοῦσα πρὸς τοῦ δήμου γεγονέναι σφοδροτέραν ἐποίησε τὴν ἀριστοκρατίαν.

Et recte quidem hæc perspexit Plutarchus, cum e fontibus ab Ephoro manantibus, si minus ex Ephoro ipso hauriret [4] : populo cum fauere uideretur ephororum institutio, optimatium potentiam in maius auxit. Summa

[1] *Sumner Maine*, L'ancien droit (transl. fr.-gallic., auctore Courcelle-Seneuil), pag. 60 : « La royauté mise en commission ».
[2] *Fustel de Coulanges*, La cité antique, XI[e] edit., pag. 283-287.
[3] Cf. sup., pag. 29 sqq.
[4] Cf. sup., pag. 34.

scilicet rei in hoc posita est : quibus constiterit ciuibus populus ille qui a cunctis scriptoribus uocatur δῆμος.

Nec Athenas enim, nec Corinthum aut quamuis e doriensibus ciuitatibus cum Sparta conferre licet, cum temporum progressu, historiæ fide comprobato, compositam reipublicæ disciplinam deprehendere in promptu sit. Hæ ciuitates tardius quam Sparta ad optimatium dominationem peruenere; sed ibi morata est Sparta, dum mercatura et inde contractibus ortis exaggerataque hominum multitudine ceteræ urbes ad nouas res moliendas excitabantur[1].

Paucis autem constitisse hunc populum, cui nomen δῆμος, et paucioribus in dies cuncta docent testimonia. Cui, si Schœmanno credimus et *homœi* qui uocantur et quos uoce καλοὶ κἀγαθοὶ Aristoteles significat annumerandi sunt[2]. Nam *hypomiones*, ut ceteros ordines ciuitatis omittamus, his aggregare nolim quos sæpe Xenophon res nouas meditatos esse ostendit[3] et, ut Gilbertus[4], non ciues optimo iure fuisse libentius arbitrer.

Sed quo tempore primum hunc populum in contionem uenisse et de rebus suis egisse respicimus, minus enucleate apparent hæc omnia discrimina. Apud Herodotum

[1] *Fustel de Coulanges*, Cité antique (XI$_a$ edit.), pag. 283-297. Cf. Étude sur la Propriété à Sparte. Séances et Travaux de l'Acad. des Sciences morales et politiques, nouvelle série, tom. XIV, 1880, pag. 859.

[2] *Schœmann*, Opusc. academ., I, 147.

[3] *Xenoph.*, Hellen., pass.

[4] *Gilbert*, Handbuch der griechisch. Staatsalterth. Erst. Band, pag. 42.

se in medium proferunt demum reges, senatus, ephori, populus qui homerica uirorum consilia, quod ad Lycurgi tempus, uel ad uicina tempora Lycurgo attinet, repræsentat aliqua specie, sed specie tantum. Nam de constitutione lycurgea nihil amplius accepimus quem nouam diuisionem factam esse huius populi et constitutum e triginta uiris, inter quos annumerandi bini reges, senatum ; relationes autem Lycurgo regibusque reseruatas esse in contione populi qui ratam esse legem solus iubebat. Nec alia ratione ea comperimus atque *rhetra* quadam a Plutarcho allata[1]. Cui si fidem adhibemus, apparet nihil incepisse, nihil actum esse per populum, cui leges antiquandi tantum aut sanciendi ius concessum erat, non earum excutiendarum aut emendandarum copia. Quid si centum circiter et triginta annis postea, Theopompo regnante, hanc reperimus rhetram: «Sin prauum quid populus statuerit, seniorum regumque esto discessionem facere[2]», id est contionem dimittere, quæ nunquam, nisi quibusque pleniluniis conuocabatur, et controuersiam transigendi aut quod uisum fuerit optimum assumendi potestate uti.

Creuerat igitur interim senatus auctoritas et ei quod Lycurgo tribuerat prior rhetra ius illud successerat. Hic seniorum cœtus qualis apud Homerum memoratur, cum eis qui propter ætatem consiliis tantum prodesse pos-

[1] *Plut.*, Lyc., 6, 7.

[2] *Plut.*, Ibid., 15. αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ αρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν.

sent[1], constaret, regibusque adsideret, peculiari potentia iam utebatur et pro uirili parte res publicas tractabat, suffragio tantum binis regibus relicto.

Sed in hac rerum mutatione quam demum confirmauit illa Theopompea quæ dicitur *rhetra*, et Polydoro Theopompoque uere tribuenda, si *H. Bazin* credimus[2], nusquam apparent qui iuris dictionem forensem exercerent aut decreta senatus exsequerentur, adeo ut defecisse dicamus omnino eos magistratus qui in aliis ciuitatibus, attrita regum auctoritate, et iudicia et curam agendi negotia e senatus mandatis administrarent.

Nunc, utut se res habet, in mentem reuocare uelim quam multis testimoniis O. Muellerus ephoros iudiciaria quadam potestate ornatos in aliis quoque ciuitatibus doricis antiquissimis fuisse demonstrauerit[3]. Sat erit exemplum decerpere Theræ insulæ quo longe ante Theopompi regnum spartana colonia deducta erat[4]. In his morari superuacuum est. At non perspicio quo iure harum rerum existimatores parui faciant narrationem a Diodoro[5] et a Pausania[6] traditam de Polychare messenio querenti apud ephoros, ante primi belli messenii exordium, ob iniurias

[1] *Iliad.*, IV, 323.
[2] *H. Bazin*, De Lycurgo, pag. 104-106.
[3] *O. Müller*, Die Dorier, pag. 107 sqq.
[4] *Id.*, ibid., pag. 112.
[5] *Diod.*, VIII, fr. 7, Bekk.
[6] *Pausan.*, IV, 4. 8. Quæ testimonia parui fecit inter alios Schæferus, De Ephor. Lacedæmon., pag. 8. Adde Frickium, De Ephor. Spartan., pag. 11.

sibi illatas ab Euæphno spartano. Cui exemplo litis ad reges ephorosque delatæ si non multum tribuimus, at saltem inde hoc elucet, hominum memoria comprobatum, ephoros iam ante bella messenia iudicia administrauisse. Quanta cura, per Peloponnesum iter faciens, uetera antiquorum temporum uestigia Pausanias collegerit nemo est qui ignoret. Quæ non ab ea discrepant fama quæ per Herodotum uulgata est; hanc rettulimus supra[1] et ephoros notauimus una cum senatu multo ante bella Persica de rebus grauissimis deliberasse, qui, nisi auctoritate iamdiu stabilita instructi essent, non satis intellegeretur quomodo ad tantam potestatem peruenissent. Nam antiquitus de capitalibus causis senatum iudicasse inter alios asserit Xenophon, patribus a Lycurgo assignatum hoc munus his uerbis indicans (De Re publ. Lacedæm., 10, 2 (4, 10): *θεὶς γὰρ (ὁ Λυκοῦργος) τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος*[2]. Sed de controuersiis quæ e contractibus oriuntur, *περὶ τῶν συμβολαίων*, nullos nisi ephoros ius dixisse comperimus. Ad hanc iuris dictionem adiungamus officium prouidendi ne quid detrimenti ciuitas caperet a neglectis moribus maiorum aut intromissis externorum uitiis[3]; quæ fuerit ephororum primis temporibus auctoritas satis liquet.

[1] Cf. sup., pag. 16-19.

[2] Cf. *Plut.*, Lyc., 26 : (τὸν γέροντα) ἔχειν διὰ βίου τὸ σύμπαν ὡς εἰπεῖν κράτος ἐν τῇ πολιτείᾳ, κύριον ὄντα καὶ θανάτου καὶ ἀτιμίας καὶ ὅλως τῶν μεγίστων.

[3] *Herod.*, III, 148, de Mæandrio tyranno Samio; IX, 76, de Coa femina Pausaniam post Platæensem pugnam adeunte et ab eo ad ephoros missa.

Ab ea auctoritate uere facti sunt ephori populi spartani uicarii, populi illius dico qui rebus publicis intererat ætate Lucurgi ; at minorem in dies negotiis ciuilibus operam is dedit, cum plurima in senatu tractarentur. Quod iam post bella messenia Herodotus demonstrat. Nam is testis est, ut supra dictum est [1], cum senatu deliberasse ephoros quoties in graui discrimine uersaretur mos maiorum aut disciplina ciuitatis, sæpe etiam ex arbitrio suo quæ optima uiderentur præsumpsisse [2]. Verisimile est de hoc officio mandata iamdiu accepisse illos, nec tamen a regibus, quia in reges ab eis nonnunquam animaduertitur, sed a senatu.

Atqui populi senatum uices egisse non est quod multis euincere conemur; perpetuam solus exercet ille auctoritatem, cum breuis et sæpe intermissa sit popularis contionis potestas. Inscio populo admonuerunt Anaxandridam ephori senatoresque, nec rem ad contionem detulerunt [3]. Senatus autem unde creatus est, nisi e populo ? Nempe errare putamus eos qui Lachmannum secuti [4] nullis nisi nobilibus curiam patuisse contendant [5]. Primum enim senatorum lectio qualem tradit Plutarchus fuisse [6] huic sententiæ minus apta uidetur ; deinde nihil

[1] Cf. sup., pag. 16-19.

[2] *Herod.*, III, 148, ubi de Mæandrio Samio agitur.

[3] *Herod.*, V, 40.

[4] *Lachmann*, Spartan. Staatsverfass., pag. 134 sqq.

[5] Inter quos recentior est Gilbertus, Handb. der griechisch. Staatsaltertbuem. Erst. Band, 1881, pag. 51.

[6] *Plut.*, Lyc., 26.

de huius modi discrimine inter nobiles et ignobiles nouerunt Herodotus et Xenophon. Quod si indicatum ab Aristotele credatur[1], ad eam ætatem attinet uerbum, qua iamdiu omnino turbata agrorum et fortunarum inter Spartanos, si modo fuit unquam, æqualitate,« optimis », id est omnibus ciuilibus muneribus functis et censum idoneum præstantibus ciuibus curiæ aditus apertus est. Hæc autem commoda cum plerumque a patre filio transmitti solerent, ortam paulatim esse Spartæ concedimus nobilitatem, quæ non tam longe a nobilitate romana abhorreret. Sed non magis Spartæ quam Romæ hunc ordinem arbitramur a « populo » fuisse secretum. Et Spartæ quoque « homo nouus » nihil impediebat quin in senatorum numerum allegeretur. Nulla saltem testimonia huic aduersantur opinioni.

Quæ cum ita sint, ephoros iam antiquitus iudicia administrauisse et, imminuta regum potentia, populi mandata executos esse censemus, per senatum præcipue expressa. Populus uero ille quid aliud erat, nisi militum eorum copia, qui, peracta in Peloponnesum irruptione, fundos in terra subacta inter se partiti erant? Postquam autem constituta fuit ex his res publica, ut par erat, omnes ciuitatis uires in unum conglobari aduersus rebellantem deuictorum hominum multitudinem necesse fuit; qua de causa, fortasse, popularem ac *democraticam* nunquam rei publicæ formam adepti sunt Spartani, sed paucorum manu continuo exercitationum labore Laconi-

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 15. 1270ᵇ, 24, Bekk. mai.

cam per quinque sæcula et amplius in ditione sua continuerunt.

Ad ea autem comprobanda perpendere sat erit, omissa etiam rerum gestarum a Spartanis narratione, quæ unanimo consensu de antiqua Lacedæmoniorum constitutione tradunt omnes scriptores ab Herodoto usque ad Xenophontem. Si controuersias enim sustulerimus, hæc manebit omnibus communis fama, nempe rerum lycurgea quæ dicitur mutatione ordinatum esse exercitum, ad quem pertinebant et diuisio populi in classes quasdam et syssitia[1], compositam ceterum curiam ad certum senatorum numerum.

Nonne iam apparet cur, post O. Muellerum[2], recentes antiquitatis interpretes, haut contemnendi, ut Kopstadtius[3], Dumius[4], *H. Bazin*[5] ephoros ad meram Lycurgi constitutionem minus quadrare contenderint? Fortasse quia in ea « mixtam et temperatam rei publicæ formam[6] » agnoscere uoluerunt. At non commenticium esse potuit hoc regimen; rationem habere oportuit et optimatium et discriminis in quo uersabatur quotidie ciuitas. Ad paucorum et primorum administrationem pertinet epho-

[1] *Bielchowski*, De Spartanor. Syssit., pag. 32 sqq.

[2] *O. Müller*, Die Dor., tom. II, pag, 111-129.

[3] *Kopstadt*, De rerum Laconic. constitut. Lycurg. origin. et indole, pag. 119-121.

[4] *G. Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 53-54.

[5] *H. Bazin*, De Lycurgo. pag. 109-111.

[6] *Id.*, ibid., pag. 111.

ratus, eo aptior, nostra quidem sententia, huic rerum conuersioni qua primorum dominatio parta est.

Ephoros igitur cum ante Theopompum regem iuris dictionem forensem administrarent, aucta optimatium potentia, bellorum messeniorum tempore, iussa senatus exsequi cœpisse arbitramur. Illos ideo quam rectius non cum tribunis plebis, sed cum electis, prima rei publicæ romanæ ætate, consulibus et prætoribus Cicero comparauisset[1] !

[1] *Cic.*, De Re publ., II, 33.

III.

DE EIS QUI EPHORORUM COLLEGIUM ADLECTI ERANT ET DE EPHORORUM LEGENDORUM RATIONE.

Vt de prima origine ephororum inter scriptores non constat, ita de eorum lectione, quinam in collegium admitti et unde desumi soliti sint in ambiguo est. Cui dubitationi ansam dederunt ipsa Aristotelis uerba. Is enim *ἐκ τοῦ δήμου εἶναι*[1], *ἐκ τοῦ δήμου παντός*[2], etiam *ἐξ ἁπάντων*[3] affirmat ephoros oriri, qui sæpe *οἱ τυχόντες* inueniuntur. Non a populo differre hos quos Aristoteles uocibus *ἐξ ἁπάντων* et *οἱ τυχόντες* comprehendit credimus, quia Spartæ magistratus adire eis tantum licebat qui uictu et educatione conceptis uterentur quibus censum aliquem suppeditare necesse erat. Hæc enim ad omnia iura obtinenda requirebantur. Ceterum non hoc loco demum uerba similia usurpauit Aristoteles ut uiros nequaquam uulgo permixtos significaret. Nam postquam cretenses cosmos cum ephoris comparauit, hæc addit: *γίγνονται οἱ τυχόντες*, quos tamen e quibusdam familiis desumptos esse ait, non, ut Spartæ ephori, e populo uniuerso.

[1] *Arist.*, Pol., II, 3, 10. 1265b, 39, 40, Bekk. mai.

[2] *Id.*, ibid., II, 6, 14. 1270b, 7-8, Bekk. mai. Lectionem *παντός* cum *Susemihl* formæ *πάντες*, ob alia omnia testimonia, inter se concordantia, præferimus.

[3] *Id.*, ibid., 6, 16. 1270b, 26, Bekk. mai; Ibid., 7, 5. 1272a, 31, Bekk. mai.

Hunc autem populum (τὸν δῆμον) supra describere conati sumus et ex his constare collegimus qui educatione et assueta disciplina institutis antiquis se diligentissime obtemperantes præbuissent (Cf. sup., p. 60). Adde censum ad ratam portionem in syssitiis soluendam idoneum [1]. Scimus ceteroquin ephoros syssitiis interfuisse, immo ex eis inter syssitia cœnaculum quoddam constitisse. Suam igitur quisque eorum partem sumptuum in commune conferre poterat ; nam in hunc cœtum ciuitatem quantumuis nummorum contulisse e nullo testimonio eruere licet. Quamuis eorum uictus et habitus parum, si Aristoteli credimus [2], cum spartanis institutis congruerint, et eos quasi a legibus ciuitatis solutos fuisse ille affirmet, illud tamen, ut res ipsa fert, uerbum de electis iam ephoris intellegendum est. Qui fieri potuit ut homines omnino impares, ab exordio magistratus, obseruandæ legi, populus eligere uellet ? Stipendium ut hoc exsequerentur, eis præberi a ciuitate necesse fuit ; at nullo pretio magistratuum officia conducta Spartæ fuisse stat, nec ciuium in contione præsentiam ; qua consuetudine ab Athenis ubi institutum τριώβολον esse aliaque stipendia accepimus, ciuitatem illam imprimis distare est conspicuum. Quæ nunquam ad popularem rei publicæ formam nisi per tyrannorum uim et extremis quidem temporibus adducta est.

[1] V. *Bielchowski*, De Spartan. Syssit., pag. 44 et ad not. 2.

[2] *Arist.*, Pol., II, 6, 16. 1270^{b}, 31, Bekk. mai. Erat enim, Aristotelis quidem tempore, ἡ δίαιτα τῶν ἐφόρων οὐχ ὁμολογουμένη τῷ βουλήματι τῆς πόλεως· αὕτη μὲν γὰρ ἀνειμένη λίαν ἐστίν.

Superest tamen illud Aristotelis testimonium « incidere sæpe ephoratus dignitatem in homines omnino pauperes[1] ». Hoc notatione dignum est quod dixit Aristoteles hanc dignitatem « sæpe » (πολλάκις) contigisse pauperibus ; non dixit : « semper » (ἀεί). Nec mirum, cum Aristotelis ætate, in paucos cessisset pars maior diuitiarum, si multi restiterunt ciues, quibus nihil amplius esset reliqui quam ut ciuilia iura, more antiquo se dignos gerentes, obtinerent. At non erant hi fortasse ad eam inopiam redacti ut non anteaquam ephoratus dignitate potirentur, syssitiis accubuissent[2]. Modus est quidam in his rebus habendus ; nonne peruulgatis exemplis romani senatus lectio comprobauit idoneum censum tandem defecisse senatores quosdam et eos idcirco e curia cessisse ? Haud inopes tamen erant illi ; sed pro senatorio ordine pauperiores, qui nihilominus priore lectione in senatum fuerant adlecti.

Quod si ab ephoris quibusdam temptatum esse ut opes sibi pararent, ita ut uenales fierent[3], contendat aliquis, non infitiamur ; nullis uero argumentis euincitur extra ciues optimo iure fruentes ephoros unquam desumptos esse. Cuncta, contra, quæ de re publica spartana tradita

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 14. 1270b, 9, 10, Bekk. mai. : ὥστε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον.

[2] *Arist.*, Pol., II, 9, 21. 1271a, 34-35, Bekk. mai. : μετέχειν γὰρ (τῶν συσσιτίων) οὐ ῥᾴδιον τοῖς λίαν πένησιν, quod uerbum quidem indicat ciues quosdam quamuis pauperes ad syssitia accedere nisos esse, ut sua iura seruarent.

[3] *Arist.*, II, 6, 14. 1270b, 10-12, Bekk. mai.

sunt nos eo ducunt ut eos e populo uera, si dicere licet, legitimo, id est ex *homœorum* ordine creatos esse existimemus. Hunc autem in dies imminutum esse comperimus et raro ad negotia tractanda conuocatum. Penes enim senatum curanda res publica mox fuit, exclusis sæpius, qui supererant, homœis, nec alia significatione credimus Aristotelis illa uerba intellegenda esse : «διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην καὶ ἰσοτύραννον, δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς» (Pol., II, 6, 14. 1270^b, 14-15, Bekk. mai.) Quod quomodo sit prolatum et quibus uerbis coniunctum examinare necesse est. Postquam igitur causas exposuit ille cur et tot pauperes essent Spartæ et tam pauci cives, uenales ephoros nonnunquam fuisse narrat et eo in peius abiisse rem publicam. Horum ephororum potestatem tyrannidi similem esse cuidam ostendit et contra eam reges popularibus artibus usos esse. Verbum δημαγωγεῖν quo regum consilia designat solitam significationem ibi habet, scilicet multitudini minorum fauere, nec certe populi illius commodis inseruire quem nomine δῆμον Aristoteles cum καλοῖς κἀγαθοῖς comprehendit. Ibi, ut uidetur, multitudini optimo ciuitatis iure carenti opponitur δῆμος. Ad hanc sententiam referri debent quæ de constitutione prorsus disserit Aristoteles : ita *aristocraticæ* rei publicæ formæ *democraticam* successisse, quod sub extrema civitatis spartanæ tempora factum est. Sed cum aduersati sint ephoris reges et multitudini blanditi, difficile est credere horum magistratuum collegium ex hac ipsa multitudine oriundum fuisse.

Nec cum his conclusionibus repugnant quæ continuo

sequuntur (C. 15) : « Quiescit populus, quia particeps fit summi magistratus[1] ». Non enim quieuisse e Xenophonte aliisque scriptoribus scimus multitudinem subminorum ; res notissima notissimis exemplis facile illustrari potest : ut omittamus enim ciuiles motus post bella messenia concitatos, de Pausania[2], de Cinadone[3] uel de quibusdam Agesilai æqualibus[4] nouas res molientibus cogitetur. A spartanis autem *homœis* conflatam seditionem esse nusquam uidemus contra senatus ephororumque auctoritatem et consilia. E quibus tandem concludendum est ephoros e populo cui optimum ius ciuitatis contingeret desumptos fuisse. Itaque, contrahitur numerus eorum qui ephoratu ornari potuerint.

Aliæ sunt quæstiones de eis quibus in creandis ephoris partes fuerint et de ratione creandi collegium ephororum. Quæ quam arcte inter se coniuncta sint nemo est quin uideat. Certa uero de utraque re in medium proferri nequeunt.

A regibus eos creatos esse inde effici potest quod apud Plutarchum Anaxilas rex interrogatur « qui fiat ut regibus non surgant ephori, ab iis tamen instituti[5] ». Sed, ut taceamus quam incerta sint apophthegmata e variis locis excerpta confuse et ad scribendas uitas undique

1 *Arist.*, Pol., II, 6, 15. 1270^b, 17-19. Bekk. mai.
2 *Thucyd.*, I, 131-135. *Corn. Nep.*, Paus., 3-5.
3 *Xenoph.*, Hellen., III, 3, 5.
4 *Plut.*, Agesil., 32.
5 *Plut.*, Apophth. lacon. Anaxil., c. 7, ed. Didot.

comparata, sententia illa cum ratione in uita Cleomenis adhibita congruit[1]. Summa denuo rei posita est in origine ephororum qui olim fuisse regum ministri et uicarii ex amicorum numero electi dicuntur; de hoc actum est supra [2]. Sed et scriptores ipsi qui hanc narrationem sequuntur negant a regibus ephoros creari potuisse ea quidem ætate, cum regium imperium coercere cœpissent [3]. Ceterum discedit alio loco a sententia sua Plutarchus. Et, eo tempore quo plurimum poterat, rex Agis, multitudinis uiribus nixus non ephorum creare potuit, sed arte quadam beneuolo sibi homini, Lysandro hoc munus mandari pertulit [4]. Ex aliis locis eadem elicere facile est. Non expeditum denique uidetur esse, cum inde ab antiqua ætate regio imperio ephori ex munere suo se opposuerint, hos magistratus a regibus creari potuisse.

Quod regibus negatur, senatui tribuit Hermannus [5]. Sed coniecturam suam uno tantum Xenophontis loco probauit[6] et postea respuit ipse, cum Xenophontis sententiam nihil aliud atque præceptum quoddam esse sensisset prolatum ad effigiem perfectæ rei publicæ adumbrandam [7]. Præcipuas in ephoris creandis partes senatus

[1] *Id.*, Cleom., 10.

[2] Cf. sup., pag. 38-50.

[3] *G. Dum*, Entwicklung und Entsteh. des Spartan. Ephor. pag. 101 et 102.

[4] *Plut.*, Ag., 8. διαπραξάμενος ὁ Ἆγις ἔφορον γενέσθαι τὸν Λύσανδρον.

[5] *Hermann*, De Homœis, prim. ed., pag. 15.

[6] *Xenoph.*, De Cyri Institut., I, 2, 14.

[7] *Hermann*, Lehrb. des griech. Staatsalt. fünfte Aufl., 1884,

fuisse, cum unicum illud et ambiguum testimonium eius rei supersit, nec de spartanis, sed de persicis institutis proditum, pro incerto habendum est.

Restat igitur populus ille qui senatores creandi ius retinuit. Idcirco iam antequam scriptorum sententiæ examinentur, ueri simile uidetur penes eum aliquam permansisse potestatem in magistratuum popularium creatione. At eius modi opinioni obstare dixerunt nonnulli[1] Aristotelis disertam mentionem. Nam, postquam hic quædam propter quæ res publica Spartanorum popularis haberi possit, enumerauit, hæc prorsus adicit : « ἔτι δὲ τῷ δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς, τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ'ἐφορίας μετέχουσιν[2].» Quibus sane non significauit Aristoteles ephoros a populo creari ; sed reuera non Kanio assentiri possumus qui scripsit : « Quicumque... affirmat de altero, de altero negat[3] » et populo duplex illud ius demum tribuit : senatores ut legat, cum sit ipsi populo præclusa curia ; ephoratus ut particeps sit, cum ephoros legere non possit. Seris enim temporibus spartanam ciuitatem inspexit Aristoteles ; intra paucissimas familias, antiquæ disciplinæ obseruantes auita quasi consuetudine, sena-

cap. 24. Confutata iam erat illius opinio a Schœmanno (Agis, pag. 120).

[1] *Schœmann*, Agis, pag. 119-120. *Kan*, Disputat. antiquar. de Ephor. Spartan., pag. 39-40.

[2] *Arist.*, Pol., IV (VII), 7, 5. 1294^{b}, 29-31. Bekk. mai.

[3] *Kan*, Disputat. antiquar. de ephoris, pag. 40.

torium mandatum tum exerceri haud absimile est uеri. Hoc primum philosopho occurrebat; cui exceptioni opposuit ille communem inter populum et optimates ephoratus usum. Contraria igitur uerba ad officii cuiusque possessionem, non ad rationem per quam officium quodque adsignabatur spectant, nec ex eis colligendum est a lectione ephororum populum prohibitum esse ob id unum quod ephoratus populus particeps esset.

Quidquid id est, testimoniorum inopia coniecturis uiam aperuit et fatendum est nihil aliud in ea re quam coniectanea facere concessum esse. Nemo tamen inter recentes antiquitatis interpretes populum negauit suffragiis suis magistratus maxime popularis creationi adfuisse[1], populum autem dico hunc, cui et ad extrema tempora senatorum dilectus et gubernatio rei publicæ, cum res grauissimæ incidissent, contingebat, optimo iure civitatis fruentem.

Sed de ratione creandi non constat; alii sorte creatos esse ephoros crediderunt, alii lectos. Sortitionem enim significare primo obtutu uerba aristotelica uidentur : *οἱ τυχόντες* et *ἐκ τῶν τυχόντων*, quorum tamen sensus qui sit, collatis ut supra[2] eiusdem scriptoris locis quibusdam, elucet. Nempe cadunt ea in eos qui magistratus fieri possent,

[1] Cf. *Gœttling*, Comment. ad Aristot. Polit., pag. 568. *Urlichs*, Ueber die lykurgischen Rhetren. Rhein. Mus., 1848, pag. 223. *Stein*, Die Entwikl. des Spart. Ephor., pag. 15-20. *Dum*, Entsteh. und Entwickl. das Spartan. Ephor., pag. 101-102. *Schœmann*, Antiq. grecques (transl. gallica, auct. Galuski, pag. 277).

[2] Cf. sup., pag. 68.

scilicet in uniuersum populum. Quod eruendum est e Platonis sententia qua Theopompum regem auctorem ephoriæ tradit fuisse, non multo probabiliorem sortitionem fuisse demonstrat. Nam cum sorte ille dicat a Theopompo, ut frenum, iniectam esse « potestatem prope ad sortem ductam » ἐγγὺς τῆς κληρωτῆς ἀγαγὼν δυνάμεως [1], mera sortitione minime captos esse ephoros inde sequitur. Schœmannus quidem recte perspexit, nostro iudicio, « sortitis magistratibus hoc maxime proprium esse, ut »promiscue, non ex genere, censu, dignitate, a quolibet »capi possint », quod reuera in ciuitatibus *democraticis* solet fieri. Cum uero e populo uniuerso desumerentur ephori, eos Plato magistratibus quos in patria sua ex omnibus sorte lectos esse nouisset æquare aliquo modo uoluit.

Ceterum aliunde elucet sorte ephoros captos non esse; nam Isocrates a Lycurgo institutum esse docet, ut omnes magistratus non sorte crearentur, sed eligerentur [2]. A quo non dissentit Aristoteles, cum, spartanam ciuitatis formam ὀλιγαρχίᾳ et δημοκρατίᾳ mixtam esse ostendens, ad *oligarchiam* accedere dicit magistratuum illam creationem, quorum « omnes legebantur, nulli sorte designabantur [3]».

Itaque legebantur ephori, non sorte capiebantur.

[1] *Plat.*, De legib., III, pag. 692.

[2] *Isocrat.*, Panath., c. 154, ed. Bekker: τὰς ἀρχὰς οὐ κληρωτὰς, ἀλλ' αἱρετὰς ποιήσαντος (Λυκούργου).

[3] *Arist.*, Pol., IV (VI), 7, 5. 1294b, 32-34, Bekk. mai.

Cf. *Arist.*, Pol., II, 6, 16. 1270b, 26, Bekk. mai. : ἀλλ' αἱρετὴν ἔδει τὴν ἀρχὴν ταύτην (τὴν ἐφορίαν) ἐξ ἁπάντων μὲν, κτλ.

Qua autem ratione, nescimus. Sed de hac inquirentem necesse est meminisse quæ fuerit apud Aristotelem uis uerborum αἱρετὸς et αἱρεῖσθαι quibus uocem κληρωτὸς opponit, dum de magistratibus disserit [1]. Hoc enim discrimine iam illum discessisse demonstratum est ab usitata apud oratores atticos significatione horum uerborum [2]. Nempe cum de altero creandi modo affirmant oratores, non de altero negant, nec idem ualere putant αἵρεσιν et χειροτονίαν. Αἵρεσις lectionem inter plures significat, nec quæ sit legendi aut suffragium ferendi ratio indicat. Ad hunc uerbi sensum accedit quod dicit Aristoteles ipse de quodam κληρωτοῦ magistratus genere, in quo sortitioni antecedit lectio quædam ; quem modum creandi sequuntur magistratus κληρωτοὶ ἐκ προκρίτων [3]. Cum autem magistratuum creatio mera sortitione partim, partim e mixta dilectu sortitione pendet, *aristocratica* et simul popularis exstat regiminis forma. Quam speciem præbuit spartana res publica, teste Aristotele ipso [4].

Quibus positis, reuocetur cogitatio ad Platonis sententiam, prope sortitionem esse lectionem ephororum [5] et prorsus ad hæc Aristotelis uerba intendatur : Ἀλλ' αἱρετὴν

[1] *Arist.*, Pol., IV (VI), 7, 3. 1294b, 5-19, Bekk. mai.

[2] *Fustel de Coulanges*, Rech. sur le tirage au sort appliqué à la nom. des Archontes athéniens, Nouvelle Revue histor. de Droit, 2e année (1878), tom. II, pag. 630, ad not. 1.

[3] *Arist.*, Pol., IV (VI), 11, 7. 1298b, 9-11, Bekk. mai : ἐὰν δ' ἐνίων μὲν αἱρετοὶ ἐνίων δὲ κληρωτοί, καὶ κληρωτοὶ ἢ ἐκ προκρίτων,... κτλ.

[4] Cf. sup., pag. 71.

[5] Cf. sup., pag. 76.

ἔδει τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐξ ἁπάντων μέν, μὴ τὸν τρόπον δὲ τοῦτον, ὅν νῦν· παιδαριώδης γάρ ἐστι λίαν. (Pol., II, 6, 16: 1270^b, 26-27, Bekk. mai.) Hoc singulare est eum eadem uoce *παιδαριώδης*, « puerilis », ad lectionem senatorum ephororumque designandam usum esse. Inde non ab omni parte similem ephororum dilectum fuisse cum *Schenkelio* arbitramur[1] usitatæ eligendorum senatorum rationi, quia concilium in illum priorem dilectum adhibitum nusquam comparet[2]. Quam ob causam etiam Gœttlingii[3], Urlichsii[4] cui assentitur Schæferus[5], Steiniique[6] opiniones tueri. æque difficile est. Quod tamen perspexit Urlichsius, rem ab oraculo pependisse[7], et solitis Spartanorum moribus et antiquæ senatus indoli conuenire mire uidetur. Auspiciis enim designati e sortitione aliqua oriundi potuerunt haberi ephori eo quod antiquissima erat hæc creandi

[1] *Schenkl.*, Rivista di filologia, tom. II, 1874, pag. 373 sqq.

[2] Quod contra concilium apparet in lectione senatorum. *Plut.*, Lyc., 26 : Ἐκκλησίας ἀθροισθείσης ἄνδρες αἱρετοὶ καθείρνυντο πλησίον εἰς οἴκημα, τὴν μὲν ὄψιν οὐχ ὁρῶντες οὐδὲ ὁρώμενοι, τὴν δὲ κραυγὴν μόνον ἀκούοντες ἐκκλησιαζόντων.

[3] *Gœttling*, Comment. ad Aristot. Pol., pag. 468. Ibi a populo designantur quidam uiri, inter quos sortitio ephoros creat.

[4] *Urlichs*, Rhein. Mus., uol. VI, 1848, pag. 223 (de Lycurgeis rhetris) a populo aliquos electos esse putat qui, auspiciis captis, ephoros designarent.

[5] *Schæfer*, De Ephor. Lacedæmon. comment., pag. 15.

[6] *Stein*, Die Entwickel. des Spartan. Ephor., etc., pag. 19-20. Sortitione arbitratur Steinius electum esse collegium aliquod (eine Wahlcommission) a quo prior inter candidatos dilectus fieret.

[7] *Urlichs*, loc. laudat.

ratio, sed a Platonis Aristotelisue æqualibus non iam intellegebatur. Quin immo, eo antiquior uidebatur lectio eius modi quo intellegeretur minus. Penes quos autem auspicia fuisse traditum est, nisi, exceptis ephoris, penes senatores et reges? Conicere igitur ex eo licet e populo uniuerso electos esse a senatu, quibus auspicia fauerent, et eorum nomina populo pronunciata. Ita, nostro quidem iudicio, et *αἱρετός* et *ἐγγὺς τοῦ κληρωτοῦ*, ut nouorum consulum a proximis consulibus, lectio dici potuit ephororum[1]. Qua, insuper, ratione et Xenophontis sententiæ[2] et Plutarchi apophthegmati[3], qualiscunque est eorum testimoniorum auctoritas, satisfactum est, cum a senatu, cuius pars erant bini reges, ephori designarentur et a populo crearentur.

Namque inter pronuntiata nomina ueri simile est populo contigisse optionem, si modo illi antiqua iura pro parte saltem superfuisse credimus. Atqui, usque ad Cleomenis tempora deliberasse ciuium contionem constat, cui leges sanciendi, ut uetus ferebat rhetra[4], potestas erat, cum a magistratibus aduocaretur. Ita illa ephoros creare potuit ex se desumptos. Qua autem formula id fecerit nescimus. Fortasse clamore, ut de senatorum nominibus

[1] Cf. *Fustel de Coulanges*, Sur le tirage au sort appliqué aux Archontes athéniens, Nouv. Rev. hist. de Droit, 1878, pag. 638.
[2] Cf. sup., pag. 73, ad not. 6.
[3] Cf. sup., pag. 72, ad not. 5.
[4] Cf. sup., pag. 58.

iudicabat, teste Plutarcho[1]. Nam cum Thucydide[2] Plutarchus consentiens βοῇ decreta esse populi consulta declarat, nec aliam ferendi suffragium rationem nouit, qui ostendat de lectione ad senatum inter æmulos populum clamore disceptantem, ut de ceteris (ὡς τἆλλα).

[1] *Plut.*, Lyc., 26. At, ut sup. (pag. 75), animaduertendum est nunquam populi contionem in lectione ephororum apparere.
[2] Cf. sup., pag. 10, ad not. 1.

IV.

E QUIBUS PRINCIPIIS ORTA SIT ET IN MAIUS AUCTA EPHORORUM POTESTAS.

Qua ratione ita creuerit ephororum auctoritas ut eorum munus maximi tandem momenti fuerit in gubernanda Spartanorum re publica nunc examinandum est. Non quo repetere in animo habeamus quæ luculenter a G. Dumio pertractata sunt; eximio enim ordine et cura diligenti quæ ad hoc officium allata sint incrementa ille disposuit et particulatim persecutus est. Duo tantum attingemus principia quibus explicetur quomodo in dies de pluribus et grauioribus negotiis ephororum collegium cognouerit et qua arte eorum potestas aucta sit.

Iam manauisse e iuris dictione forensi, qua non a regibus ornati, sed a populo instructi ephori essent, eorum potestatem diximus [1]. Nullum enim, mutata a Lycurgo ueteri consuetudine, Spartæ stare comperimus iudicum concilium quod, ut Athenis antiquitus fortasse ephetæ, postea thesmothetæ et heliastæ de ciuilibus causis cognoscerent et iudicarent. Hoc tantum scimus a ueteri ætate [2]

[1] Cf. sup., pag. 62 sqq.

[2] *Plut.*, Apophth. laconic., tom. II, pag. 120, ed. Tauchn.: *τὰς περὶ τοῦ θανάτου δίκας πλειόσιν ἡμέραις οἱ γέροντες κρίνουσι.*

senatui reseruata fuisse de capitalibus causis cognitionem et iudicium, sed in solos Spartanos ; cum uero de delictis regum ageretur, ephoros senatoribus admixtos fuisse [1], et ad summam nihil regibus reliqui fuisse nisi quæ ad religionem gentiliciam aut ad ciuilia sacra pertinerent. At perpetua et ore uno tradita fama ex omnibus testimoniis constat penes ephoros fuisse iuris dictionem in priuatos [2]. Illi etiam scriptores qui Theopompo regi ephororum institutionem tribuunt eos ciuilium causarum iudicio præfuisse docent. Recte igitur Cleomenes eos e iudicibus tyrannos euasisse contendit, et, occupato paulatim rerum regimine, toto in ciuitate imperio potitos esse. Cumque ille, deiectis magistratuum subselliis, unum stare iussit unde esset ipse ius dicturus [3] ueteri sane famæ et communi Spartanorum sententiæ inseruiebat. Nempe cum populo blandiretur, instaurata regum potestate, a regibus, ut dicit, olim mandatum officium sibi seposuit. Quidquid sentiendum est de hac ephoratus origine [4] huic muneri antiquitus iudiciariam potestatem iunctam fuisse Spartani certe omnes existimabant. Qua autem ratione ephori illam exercuerint, docet Aristoteles [5]. Namque cum « ab

[1] *Herod.*, V, 39.
Cf. *Pausan.*, III, 5, 3.
[2] Cf. sup., pag. 62 sqq.
[3] *Plut.*, Cleom., 10.
[4] Cf. sup., pag. 31 sqq.
[5] *Arist.*, Pol., II, 6, 16. 1270b, 28 sqq. Bekk. mai. ἔτι δὲ καὶ κρίσεων μεγάλων εἰσὶ κύριοι, ὄντες οἱ τυχόντες, διόπερ οὐκ αὐτογνώμονας βέλτιον κρίνειν ἀλλὰ κατὰ γράμματα καὶ τοὺς νόμους.

eorum arbitrio pendeant magni discriminis causæ », illos *αὐτογνώμονας* esse, nec legibus scriptis adstrictos uitio uertit spartanæ ciuitati. Quod, si ad Aristotelis ætatem in usu fuit, pristina consuetudine ortum esse nemo est qui infitietur. Quis autem non agnouerit huius modi iuris dictionem? Quis absimilem eam credat esse iuri antiquo illi cuius decreta in uetustissimis urbibus primorum potentiæ fauebant? Huic opinioni consentit Aristoteles, cum in Politicis (II, 8, 4. 1273ª, 18-20, Bekk. mai.) « *ἀριστοκρατικὸν*, ait, *τὸ τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπ' ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι* ». In eo igitur a solita ciuitatum græcarum forma Sparta differebat, quod ciues non ipsi, sed per ephororum ministerium iudicia exercebant. Atqui proprium esse ciui iudicandi potestatem habere Aristoteles docet [1]. Ephoris igitur quasi commissa erat ea quæ penes ciuitatem erat iurisdictio.

Inde ortam esse eorum potentiam nonnulla demonstrabunt.

De possessione agrorum et de prædiorum inter ciues mutatione aut emptione paucas, primo obtutu, lites ad eos qui iura priuata administrabant delatas esse apparet, si uerba ipsa quæ a Platone scripta sunt sequimur [2] nec minus ab Heraclide Pontico [3]. Alter enim et post eum

[1] *Arist.*, Pol., III, 1, 5. 1275ª, 25 sqq. Bekk. mai. Cf. Pol., III, 1, 6. 1275ª, 35-40. Bekk. mai.

[2] *Plat.*, De Leg., III, pag. 684, 685.

[3] *Heracl. Pont.*, Fragm. histor. græc., ed. Didot, tom. II, pag. 211.

Plutarchus[1] pares terræ spartanæ partes Doriensibus adsignatas fuisse, alter uetitum legibus has unquam uenisse tradunt. Cui assentitur et Aristoteles[2] et Plutarchus iterum[3]. Nullos inde contractus inter ciues spartanos, nullas controuersias ortas esse recte contendemus ; ideoque uacare talibus causis iudicum tribunal necesse erat. Nam quin κλῆροι et ἀρχαῖα μοῖρα definitæ hereditati addicta sit nullo in dubio est. At, non paucis collatis testimoniis enucleatum est inde a primis temporibus ciuium, id est, possessorum numerum perpetuo quasi tenore imminutum esse[4].

Qua ratione, quorum iudicum ministerio de hereditatibus illis decretum sit, quando ager hereditarius, exstincta possessorum familia, uacabat, nos latet. Nec a senatu, nec a regibus, omissa filiarum epiclerorum cura, unquam diremptas esse controuersias inde ortas manifestum est, nec, necesse est fateamur, ab ephoris id factum esse. Quantum e Plutarchi loco[5] conicere licet, cum seniores tribus in λέσχῃ sedentes ait puero adlato unam ex nouem millibus portionum agri adsignauisse, id ad pueri in albo tribus inscriptionem pertinere uidetur[6]; si ultra quærimus, forsitan hoc ex eo indicio eruendum

[1] *Plut.*, Lyc., 8.

[2] *Arist* , Pol., II, 6, 10. 1270a, 19-20. Bekk. mai.

[3] *Plut.*, Ag., 5, et Instit. lacon., 22.

[4] Cf. sup., pag. 62 sqq.

[5] *Plut.*, Lyc., 16.

[6] *Fustel de Coulanges*, V. Étude sur la Propriété à Sparte. Acad. des Sc. mor. et pol., nouv. série, 1880, tom. XIII et XIV.

est populum se non antiquo iure de partiendis agris abdicauisse. Ephoros autem, populi interpretes et tutores, se gerebant, eius scilicet populi qui *aristocraticum* morem sequebatur.

Illud insuper in obscura quæstione attentius examinetur uelim, quo loco Aristoteles munus ephororum in Politicorum libris descripserit. Nempe de hoc disserit postquam Spartam ciuium penuria perisse docuit[1].

Prorsus *τὰ περὶ τὴν ἐφορίαν* exsequitur, quasi cohaerentia cum agrorum et possessorum statu. Quæ igitur uitio uertit ephoriæ, si non ab imminuto ciuium numero et aucta multorum paupertate scriptor pendere affirmat, at saltem res istas propinquas esse indicare uidetur.

Quin ipse rationem reddit cur eas iunxerit; nam prius dixit ille, cum causas inæqualium fortunarum quæreret, lege ita uitiatam fuisse constitutionem Spartanorum ut, quamuis abalienari heredia non liceret, tamen libera cuiuis potestas agrorum uel donandorum inter uiuos, uel testamento legandorum permissa esset[2]. Eius uero legis, uel rectius adiunctæ ad illam consuetudinem quam nominat legem Aristoteles[3], rogationis quis fuerit auctor nouimus. De ephoro Epitadeo agitur, a quo nos docet Plutarchus uetus de terræ possessione ius immutatum esse post tempora Lysandri[4]. Quin immo sanctam illam

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 13. 1270^b, 40 sqq. Bekk. mai.

[2] *Id.*, ibid., II, 6, 10. 1270^a, 19-25. Bekk. mai.

[3] Non enim recte Aristoteles antiquæ legi tribuit quod ad Epitadeum referendum est.

[4] *Plut.*, Ag., 5.

quæ filias epicleros religio in manu heredis antiquo more designati retinebat sublatam fuisse ex ipsius Aristotelis uerbis colligendum est[1]. Ad senatum legem illam latam esse e Plutarcho constat; hanc autem ephorus rogauit quem nec Aristoteles, nec Plutarchus uitio egisse animadvertunt. Unde illud tandem concludendum est, de his rebus ephororum cognitionem legitimam fuisse.

Atqui, ut nuper demonstratum est[2], morum commutationem a longo tempore inceptam sanxerat ea lex; nam, cum promulgata lege, locupletiores tenuiorum possessiones inuaserunt, nihil nisi κλᾴριον, id est pecuniæ collocatæ in κλήρῳ, quæ pars agri hereditaria erat, pignus recuperauerunt. Quot uero contractus, quot controuersias inde profectas, ante Epitadei legem latam, ab ephoris iudicatas esse non absimile ueri est! Quæ cum nos lateant, tamen hoc consideretur, hanc legem ab ephoro quodam rogatam esse ut primoribus faueretur et eo tempore quo penes paucos optimates totum ciuitatis regimen esset.

At non unico et modico heredio diuites Spartani erant, quod uix ad quotidianum uictum suppeditare poterat, quia non ab ipsis ager ille colebatur, sed helotis pro annua pecunia aut fructuum reditu concessus fuerat. Ab ultima antiquitate repetenda essent huius rei testimonia, nisi iam a recentibus scriptoribus essent congesta. Quæ de

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 10. 1270ᵃ, 19-25. Bekk. mai.

[2] *Fustel de Coulanges*, Étude sur la Propriété à Sparte, loc. sup. laud., uol. XIV.

Euæphno spartano narrata sunt a Pausania [1], quæ refert Tyrtæus posteriori ætate de inæqualitate fortunarum apud Spartanos, quorum nonnulli agros rursus dispertiendos esse censebant [2]; uerbum denique illud Aristodemi ab Alcæo relatum, quemquam sine fortunis nobilem esse negantis [3]; omnia documenta demonstrant, iam ante deuictam Messeniam et hac subacta regione, aliquos Spartanos præter heredia sua agros possedisse, siue in ea terra spartana quam e κλήροις constare scimus, siue foris. Terram autem messeniam a Pausania accepimus in portiones diuisam esse et sorte attributam ciuibus spartanis [4]; a Tyrtæo traditum est eam helotis ad miseram condicionem redactis concessam [5]. Nulla uero lege prohibebantur Spartani agros, præter heredia, uendere aut emere; quibus contractibus seu periœcorum possessiones, seu agri bello parti materiam satis amplam præbebant in qua ephororum ministerium exerceretur. Itaque illius potentiam crescere necesse erat, quoniam negotiis illis admixtum fuisse uidetur officium illud quo τὰς (δίκας) τῶν συμβολαίων dirimebant ephori [6].

Maius forsitan incrementum ceperat ephoratus ex eo quod res mouentes et mutatio mercium erant in usu Spartæ. Quanta auctoritate usi sint cum in *agora* (ἐφορίᾳ)

[1] Cf. sup., pag. 62.
[2] *Arist.*, Pol., VIII (V), 6, 2. 1306b, 37 ; 1307a, 1. Bekk. mai.
[3] *Alc.*, Fragm., 49, ed. Schneidewin.
[4] *Pausan.*, IV, 24. τὴν γῆν αὐτοὶ διελάγχανον.
[5] *Tyrt.* ap. *Pausan.*, IV, 14. Cf. *Aelian.*, Hist. var., VI, 1.
[6] *Arist.*, Pol , II, 1, 7. 1275b, 10. Bekk. mai.

merces inspicerent ephori, aut uenditioni et emptioni præessent, ostendit O. Muellerus[1]. Sed, quidquid existimandum est de consuetudine quæstus e nummis creditis ortos uetante, nouimus Spartæ fenus exerceri solitum esse. De pecuniis iam Lycurgi ætate, cum nulli, quamuis obstet fama, nummi ferirentur, de creditis apud Plutarchum agitur[2]. Multis ab eo tempore proditur locis[3] rem pecuniariam magni fuisse Lacedæmone. De hac quin ephori ius dixerint cum non sit dubium, quis miretur eorum potestatem tum longius prouectam esse, cum maximis fortunis gauderent primores, id est, ea ætate qua, Lysandri uictoriis reportatis, externæ diuitiæ urbem inuaserunt[4]. Ad hos annos Plutarchus plurimum ephoros ualere ait[5] et in fine uitarum Lycurgi et Numæ res pariter mutatas esse Romæ et Spartæ aduentu externarum pecuniarum notauit. Hoc igitur ratum est iisdem annis quibus congerebantur pecuniæ in manus primorum, ad summam prouectam esse ephororum potentiam. Supra iam laudato Aristotelis loco[6] de contractibus ad pecuniæ usum pertinentibus eos iudicasse scimus.

[1] *O. Mueller*, Die Dorier, I, pag. 116.

[2] *Plut.*, Lyc., 9, 11.

[3] V. *Cl. Jannet*, Les Instit. soc. et le Droit civil à Sparte, pag. 54 sqq. *Fustel de Coulanges*, Ét. sur la Propr. à Sparte. Acad. des Sc. mor. et pol., 1880, tom. XIV, pag. 849.

[4] *Plut.*, Lys., 30.

[5] *Plut.*, Agesil., 4.

[6] Cf. sup., pag. 87.

Quam arcte cohæreant illæ res inter se intellegere in promptu est et quantum inde ephoratus profecerit.

E quibus autem officiis constiterit hæc iuris dictio singillatim exponi nequit. Iamdiu, cum scribebat Herodotus, ephori desierant res in foro uenales inspicere et lites inde ortas dirimere; nempe hoc munus ab empeloris exerceri uidemus[1]. Has uero controuersias de quibus statueret eorum collegium conicere tantum possumus, cum de forma contractuum ciuilium qui apud Spartanos in usu erant nulla supersint uestigia. Cognitionem de iis ephori inter se partiebantur si Aristoteli credimus[2]; at, cum aliunde nouerimus ad summam auctoritatem eos peruenisse eo tempore quo paucissimi et latifundia et pecunias possidebant, ex eo necesse est concludamus et *aristocraticum* magistratum eorum fuisse et quo uberiores factæ sint in dies facultates optimatium, eo maiores causas ad ephororum tribunal delatas esse. Postquam uero in manus aliquot uirorum et feminarum[3] congesta fuere agrorum reditus fenoraque, de fortuna publica illi, omni remota contentione, decreuerunt. Quod si uocetur in dubium, ad Agidis uel Cleomenis uitas a Plutarcho expressas referatur animus. Ubi diuidere portiones agrorum et æquare fortunas inter ciues uterque meditatus est, ephororum collegio opus esse sibi sensit et in illud amicos intro-

[1] *Hermann*, Lehrb. der griechisch. Staatsalt., 1884 (fünfte Aufl.), c. 24, ad not. 23.

[2] *Arist.*, Pol., II, 1, 7. 1275b, 10 sqq. Bekk. mai.

[3] *Plut.*, Ag. et Cleom. pass.

mittere est conatus. Quibus tamen obstiterunt patres, unde concitata seditio et agitata ciuitas. Hoc enim inusitatum et insolens euenerat sensim apud Spartanos, scilicet mercatura et fenore plebem non constitutam fuisse unde magnus suppeditaretur ciuium prouentus; sed contra imminutum esse ueterum ciuium numerum et lento secretoque progressu aceruatas opes in paucorum manibus. Quos ipsos ab ephoris auxilium et tutelam accepisse res demonstrant. Quin, eorum magistratuum munia, et ante legem Epitadei latam, hanc rei publicæ indolem fouisse quis non arbitretur ?

De iure gentilicio apud Spartanos cum pauca tantum et incerta sciamus, haud expeditum est discernere quæ partes ephororum iuris dictioni attributæ fuerint in disciplina domestica et litigiis inter propinquos ortis. E cognitione regibus relicta[1] apparet in his rebus diu integram ueterum temporum consuetudinem, per speciem quidem, seruatam esse. Singularia tamen conspicuum est etiam de aliis causis munia regum constituta esse, nec in quos magistratus ceteræ causæ competierint, elucet. At de matrimonio habuisse auctoritatem ephoros constat, qui ad iustas nuptias cogere idoneos ciues possent; nam καὶ ἀγαμίου δίκη, καὶ ὀψιγαμίου καὶ κακογαμίου ab illis intendebatur. Quod in reges, idem in ciues ius ii exercebant, nec ignoratur ab eis animaduersum esse in filiarum Lysandri procos, qui, post patris obitum, pauperiores puellas ducere

[1] Cf. sup., pag. 44.

abnuerent[1]. Filias Alcippi, qui solum uertere iussus erat ob rerum nouarum studium, matrimonium inire ephori uetuerunt[2].

De herciscunda familia, cum nec legari, nec abalienari uetus patrimonium potuerit, et ueri simile sit grandiori natu inter filios illud contigisse, parum uidetur in hæc cecidisse iuris dictio ciuilis ante legem Epitadei. At non hereditario tantum agro euictum est Spartanos contentos fuisse; quare diuisa esse cetera bona, seruata fortasse inter fratres communione quadam, probabile est. De iudicibus inter eos, si res postularet, adhibitis, nihil repertum est. Sed Epitadei lex quod ab ephoro rogata est credimus indicium esse auctoritatis de hereditatibus ephoris mandatæ.

Quod si de familiarum gentiumque constitutione et disciplina ephoros decreuisse non plane cognoscitur, at saltem ab eis, pro maxima parte, e quibus constaret populus ciuium optimo iure disceptatum esse liquet. Quia iudices illi erant, censura et nota ciuium discrimenque inter eos faciendum ex eorum arbitrio pendebat. Neminem fugit enim censum quendam, ad syssitia saltem, exactum esse a Spartanis et agri paterni possessionem, nec minus legum obœdientiam, ut *ecclesiæ* adesse et ad honores promoueri possent. Quod ius adimere aut conseruare cuivis penes ephoros erat. Namque in eorum iudiciis per multos

[1] *Plut.*, Lys. in fin. et Apopht. lacon. Lysand.
[2] *Plut. Amator. Narrat.*, 5.

annos positæ fuerunt multorum ciuium fortunæ, unde manare aliquo modo ius ciuitatis instituta spartana docent. Ex quo facile intellegitur ephoros ad se traxisse illam totius reipublicæ custodiam de qua permulta supersunt testimonia.

Quæ potestas manifesta fit, cum multas in reges aut in ciues irrogant, cumque multatos, si grauior sit pœna, reipsa eiciunt e populo. Quod etiam per ἀτιμίαν, scilicet per deminutionem capitis consequebantur interdum, nec ab ea desistebant potestate, nisi cum e pœna aliquid detrimenti respublica captura fuisset. Sic, Leuctricæ cladis accepto nuntio, profugos, τοὺς τρέσαντας, lege in deminutorum numerum relegatos, impunitos dimiserunt, auctore Agesilao[1]. At rarissime data est eiusmodi ab eis uenia. Si quis autem quanti momenti fuerit in ciuitate spartana deminutio capitis considerauerit[2], quam sæpe et quam leues ob noxas indicta fuerit, facile dignoscet immutatam non semel ab ephoris esse populi indolem et sæpius imminutum ciuium numerum.

Nec sola tamen, quæ penes ephoros erat, iuris dictione omnia eorum munia explicari possunt. Nam cum, subacta Peloponneso, hostibus Spartani per longos annos circumdarentur, pleraque in civitate in hunc potissimum finem instituta erant ut bellum spectarent. Nec mirum in hac rerum laconicarum condicione ueteres omnes

[1] *Plut.*, Apopht. lacon. Agesil.

[2] *Fustel de Coulanges*, Ét. sur la Propr. à Sparte. Acad. des Sc. mor. et pol., 1880, tom. XIV, pag. 189-190.

consensisse. Quam enim ab Herodoto traditam seruarunt ii, a Lycurgo informatam fuisse Spartæ militarem disciplinam, antiquis temporibus conuenisse adiecta nova ratione Thucydides demonstrat, cum cuncta ait composita apud Spartanos ut ab Helotis cauerent[1]. Prolatis imperii spartani finibus, grauius in dies periculum creuit et intus et foris; hinc continuata consuetudo ut semper bello prospiceretur eiusque apparatui. Cur ad hoc munus accesserint ephori, non tantum, ut uidetur, ephoratus progressu et incrementis post bellum messenium expediendum est. Iam notatum est[2] eos ab Herodoto numerari inter ea instituta lycurgea quæ ad bellum pertineant. Disertius nos docet Xenophon[3] qui per eos dilectus haberi solitos esse asserit et hoc officium e mandato Lycurgi exerceri. De numero igitur militum qui in bellum proficiscerentur, de ætatis anno, de eorum partitione inter hoplitas, equites, fabros statuebant suo arbitrio, quod solemni formula φρουρὰν φαίνειν dicebatur[4]. Quis autem nescit hanc militum distributionem apud ueteres, primis quidem temporibus ita e ciuium censu pependisse ut pro fortunarum suarum æstimatione, in classes quique cives ex ordine collocarentur ? Et Athenis Solonis legibus, ut ferunt, et Romæ Servii Tullii constitutione descriptæ

[1] *Thucyd.*, IV, 80.
[2] Cf. sup., pag. 18.
[3] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., 11.
[4] *Xenoph.*, Hellen., II, 4, 29 ; III, 23 et 25 ; IV, 2, 9. Ubique in Helleuicis reperitur hæc formula quam Plutarchus quoque usurpauit.

sunt eius modi classes æstimatis uirorum facultatibus. Quam sane consuetudinem Dorienses, antiqua ætate, minus secuti esse uidentur, si terræ subactæ, post factam irruptionem in Laconicam, æquis portionibus donatos eos euincitur. Sed, ut ad hanc sententiam accedamus, aliunde constat turbatam mox esse eam æqualitatem. Itaque necesse est de idoneo censu cuiusque ordinis magistratus tum decreuerint, quod erat romanorum censorum munus. Hoc autem officio functos esse ephoros arbitrandum est eo quod illi causarum ciuilium iudices, sæpius de ciuium facultatibus disceptabant et e Xenophontis testimonio. Adde quod *hippagretas*, scilicet «trecentorum equitum» duces[1], *agathoergosque* ex equitibus ad negotia externa administranda[2] legebant. Ab hoc genere dilectus mos uetus agnoscitur, etiam si ad seram ætatem referantur hæc munia.

E principiis talibus orta maioribus in dies incrementis aucta est collegii potentia, cum dispares inter se fortunis ciues fierent et continuis bellis implicata Lacedæmon esset. Venit tandem tempus quo ephori hunc exercitum, ab ipsis comparatum in bellum educi aut domum reuertere sua iusserunt sponte. Quo progressu ad hoc imperium euecti sint satis elucet ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte. Illos sub tempus Cleomenis I de consiliis ad interiorem rei publicæ statum pertinentibus iam plerumque decreuisse Herodotus ostendit[3]. Quod uero mili-

[1] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæmon., IV, 3.

[2] *Herod.*, I, 67.

[3] Cf. sup., pag. 63. De Mæandrio samio et Aristagora milesio.

tiam spectabat etiam Herodoti tempore penes reges erat, bellum indicere hostibus et inferre, exercitui præesse et ad arbitrium suum regere : « καὶ πόλεμόν γε ἐκφέρειν ἐπ᾽ ἣν ἂν βούλωνται χώραν, τούτου δὲ μηδένα εἶναι Σπαρτιητέων διακωλυτὴν· εἰ δὲ μή, αὐτὸν ἐν ἄγεϊ ἐνέχεσθαι » (Herod, VI, 56)[1]. At quæ fuerat regum in rebus bellicis auctoritas attrita paulatim, pro magna parte, in ephoros cessit. Iam enim ante Persica bella regem rerum gestarum rationem reddere coactum esse exemplo Cleomenis eiusdem docemur[2]. Cum autem inualuerat primorum dominatio, flagrante bello Peloponnesiaco, seueriori addictus est rex Agis tutelæ, auctoribus ephoris, et decemuiris obnoxius, qui regi consilia darent de exercitu ex hostium finibus domum reducendo[3].

Nec magis liberi a custodibus et uigilibus reges erant, si non decemuirali concilio circumdati, quod quidem insolitum erat. Nam incerto tempore, quod ætati tamen Xenophontis congruere uidetur, lege et usu inualuit consuetudo qua regem alterutrum in bellum proficiscentem duo ephori comitarentur : « νομίζεται ξὺν βασιλεῖ δύο τῶν ἐφόρων ξυστρατεύεσθαι » (Xenoph. Hellen., II, 4, 36). Quorum munus ita regibus infestum habebatur ut Aristoteles hos legatos « inimicos regis » nominet : ἐξέπεμπον συμπρεσ-

[1] Cf. *Dum*, Entsteh. und Entwickl. des Spartan. Ephor., pag. 58, 59. Cf. de Cleomenis militari imperio Herod., VI, 64 ; V, 70-76 ; V, 63.

[2] *Herod.*, VI, 82.

[3] *Thucyd.*, V, 63.

βευτὰς τοὺς ἐχθροὺς » (Arist., Pol., II, 6, 20. 1271a, 25, Bekk. mai.).

Iam sub quarti sæculi a. Ch. n. exordium, tantum de regio imperio detractum erat ab ephoris ut, his auctoribus, plerumque rex exercitui præponeretur et eorum iussu copias domum reduceret. Sic anno 391 ephoris populoque uisum, fœdere cum Argiuis pacto, expeditionem suscipere adversus Acarnanas Agesilaumque militibus præfici [1]. Nec semper populi mentio fit, cum Xenophon, ut rem exemplis probemus, ab ephoris Cleombrotum emissum esse narret [2] et Agesilaum Plutarchus a solis ephoris reuocatum statim redisse ut legibus pareret [3].

Sic a delata sibi bellicorum apparatuum cura, ephori ad se traxerunt omne belli inferendi et regendi arbitrium. Cum Spartæ omnia bellum spectarent, haud mirum est eos qui exercitus dilectum et postea regimen haberent, disciplinæ quoque præfuisse qua informaretur exercitus et compararet ciuitas robur suum. Sic a mandata ephoris cura iudicandi de fortunis ciuium et de rebus bellicis proficiscebatur ea auctoritas quam illi in omnes ciues exercebant. Diu enim Lycurgeæ constitutionis uindices et ueterum morum custodes se præbuerant ut integram

[1] *Xenoph.*, Hellen., IV, 6, 3.

[2] *Id.*, ibid., V, 4, 14.

[3] *Plut.*, Agesil., 15. καλοῦσιν ἐκεῖνον ἔφοροι καὶ κελεύουσι τοῖς οἴκοι βοηθεῖν. Cf. in Apophth. lacon. (Agesil.) literas ad Ephoros ab Agesilao missas.

seruarent ciuitatis indolem. Nam ut omittamus quæ narrat Herodotus de Mæandro samio[1], notare sat erit quam male habitus sit Pausanias qui simplicem uictum et austera patriæ instituta aspernatus est et corrumpere uoluit[2]; quam seuere animaduersum in Gylippum, Cleandridæ filium quosdam nummos e spoliis Athenarum furatum[3], in Lysandrum ipsum a Pharnabazo accusatum[4]. Omnibus se rebus collegium immiscuit, quæ ad internam ciuitatis disciplinam alicuius momenti essent et imprimis iuuentutis educationi.

Informandorum quidem iuuenum cura bideis et pædonomo mandabatur[5]. At in uniuersum ephoros qua diligentia exerceretur hoc officium inspexisse Xenophon docet, cum τοὺς ἀπὸ δημοσίου narrat capitis deminutione sæuisse in eos qui labores aut pericula detrectarent[6]. Aliunde magistratus eosdem scimus præfuisse ei pompæ quæ ab armata iuuentute ad Mineruæ Chalcioeci templum ducebatur[7] et solemnibus ludis, quibus nomen erat γυμνοπαιδίαι[8]. Supra diximus ab eis tres hippagretas et agathoergos lectos esse[9]. Ab eis denique indictam κρυπτειάν

[1] Cf. sup., pag. 63.
[2] *Thucyd.*, I, 131-135. *Corn. Nep.* Pausan, 5.
[3] *Plut.*, Lys., 16.
[4] *Id.*, ibid., 19, 20. Cf. *Corn. Nep.*, Lys.
[5] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæmon., II, 2, 10. *Plut.*, Lyc., 13, 17.
[6] *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæmon., III, 3.
[7] Cf. *Pol.*, IV, 35, 2 et 9.
[8] *Xenoph.*, *Hellen.*, VI, 4, 16 et Ages., 29
[9] Cf. sup., pag. 94.

qua Helotæ a iuuenibus obseruarentur Plato [1] et Plutarchus [2] perhibent, et affectos esse pœna qui iuuenes aliquid contra mores aut uirtutis et fortitudinis præcepta admisissent [3].

Vt in ciuitate ad bellum semper ordinata et parata rectam urbis temperationem et modestiam assumerent rei publicæ custodes effecit eorum iudiciaria potestas cum militari auctoritate mixta. Aspere hanc et nonnunquam crudeliter, ut optimatium solent ubique ministri, ephori exercuerunt [4]. Et eo acriori uigilantia disciplinam ciuium et peregrinorum etiam Spartæ commorantium [5] speculabantur, quod ex arbitrio ius dicebant suo nec ullis legibus scriptis erant adstricti. Rationem insuper reddere a nemine nisi a successoribus et collegis cogi poterant [6]; rarissima tamen exempla huius inquisitionis producuntur

[1] *Plato*, De Leg., I, pag. 633.

[2] *Plut.*, Lyc., 28.

[3] *Id.*, Instit. lacon., passim. Cf. *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæmon., III, 3.

[4] De Cinadone, v. *Xenoph.*, Hellen., III, 3, 8. Quomodo morte plectendos curauerint ephori eos qui rerum ordinem euertere conati sunt, Epaminonda urbi minitante, docet *Plut.*, Ages., 32. De *politia* in urbi post cladem Leuctricam ab ephoris curata, v. Apophth. lacon., pag. 112. De coercita luxuria, v. *Plut.*, Instit. lacon., pass.

[5] ξενηλασίαι sæpe fiebant, ephororum iussu, sed ne e lege certa eiectos esse peregrinos credamus multa testimonia monent, inter quæ *Xenoph.*, Memor., I, 2, 61.

[6] *Arist.*, Pol., II, 6, 14. 1270^b, 5-14. Bekk. mai.

et reuera ephori summo imperio res ciuiles et bellicas tractarunt [1].

Nusquam autem clarius elucet hæc duplex ephororum iuris dictio quam in syssitiis cum re militari, ut *Bielchowski* euicit, cohærentibus [2]. Nàm et Aristotele constat qui collationem in syssitia conferre nequirent eos ciuitatem amisisse [3]. Quod quidem raro antiquissimis temporibus accidit, si Hermannum sequimur ; « nemo enim, ut ait »doctissimus vir, ex Lycurgi descriptione adeo pauper »esse poterat quin iustam saltem portionem exhibere »posset [4] ». At quidquid est in his ueri simile [5], iam ante bella messenia paupertatem in ciuitatem irrepsisse accepimus et in dies minus spartano cuique ciui satis fuisse agrum hereditarium, ut disciplinæ ciuitatis pareret, si proles esset numerosa. Quo redit illud Aristotelis iudicium (Pol., II, 6, 13. 1270^b, 5-6, Bekk. mai.) : *φανερὸν ὅτι πολλῶν γενομένων, τῆς δὲ χώρας οὕτω διῃρημένης ἀναγκαῖον πολλοὺς γίνεσθαι πένητας*, cui addenda est etiam illa sententia (Pol., II, 3, 6. 1265^a, 38-39, Bekk. mai.) : *ἄτυπον δὲ τὰς κτήσεις ἰσάζοντα τὸ περὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν μὴ κατασκευάζειν, ἀλλ᾽ ἀφεῖναι τὴν τεκνοποιίαν ἀόριστον.*

Quid si ciuis multa afficeretur ab ephoris ita ut ad

[1] Cf. *Plut.*, Ag., 12, et *Xenoph.*, Hellen, II,, 3, 34. Aristotelis locus in Rhet., III, 18, 6, obscurior est.

[2] *Bielchowski*, De Spartan. Syssit., pag. 32 sqq.

[3] *Arist.*, Pol., II, 6, 21. 1271^a, 26-37 Bekk. mai.

[4] *Hermann*, Antiq. lacon., pag. 147. Cf. Lehrb.

[5] *Bielchowski*, De Spartan. Syssit., pag. 46-47.

extremam inopiam adduceretur? Quapropter ditissimos sæpe, cum multati essent, solum uertisse uidemus.

Adde quod inspiciendi syssitiorum participes facultas ephoris tribuebatur lege et reges ipsi peculiari suæ cenæ, cum Spartæ morarentur ab eis cogebantur adesse. Vt obsonia quædam præberent diuites ab ephoris condemnati esse uidentur[1]. Inde igitur, quanquam scimus syssitiis uniuersis polemarchos præfectos fuisse, custodiam quamdam huius ueteris consuetudinis ad res militares in primis spectantis ephoris mandatam esse apparet.

Quæ iura in Spartanos ciues exercebant, eadem in ceteros Lacedæmonios, id est periœcos, ephoros obtinuisse existimandum est, neque tamen pro certo affirmandum, quoniam nulla supersunt testimonia unde conclusio ea eruatur. Et ob eam causam conicere potuit O. Muellerus[2] periœcos, non nisi cum Lacedæmone adessent, ephororum iudicio subiectos fuisse. Ceterum nouimus periœcorum regionibus magistratus et procuratores a Spartanis impositos esse qui præessent[3]. Sed iuris dictione quadam eos instructos esse e nomine procuratoris in Cytheram insulam quotannis missi, Κυθηροδίκου dico[4], colligere licet. Ea autem quæ ad iuris dictionem spectabant ex ephororum arbitrio pependisse satis constat. Præterea mores periœcorum spartanos magistratus

[1] *Bielchowski*, De Spartan. syssit., pag. 20 sqq.

[2] Die Dorier, II, 115 sqq.

[3] Schol. *Pind.* Olymp., VI, 154, ubi *Harmostæ* illi nominantur.

[4] *Thucyd.*, IV, 53.

speculatos esse docet Plato his uerbis : *οὔτ' ἂν ἐπ' ἀγρῶν ἴδοις οὔτ' ἐν ἄστεσιν ὅσων Σπαρτιάταις μέλει συμπόσια οὐδ' ὁπόσα τούτοις ξυνεπόμενα*[1], quæ autem morum cura ephoris contingebat. Denique cum tributa conferebant periœci[2] militesque imperatos dabant[3], necesse erat illos ephoris parere, quoniam inter horum magistratuum munia, ærarii publici et uectigalium administratio adnumeranda esse uidetur[4], et militum dilectum penes eos fuisse supra demonstratum est[5]. Latius etiam in periœcos patuit ephororum potestas si credimus Isocrati qui de capite hominis lacedœmonii ephoros ad arbitrium suum iudicasse docet in Panathenaïco, cap. 181 : *τῶν γὰρ οὕτω μὲν ἐξ ἀρχῆς δεινὰ πεπονθότων, ἐν δὲ τοῖς παροῦσι καιροῖς χρησίμων ὄντων (τῶν περιοίκων) ἔξεστι τοῖς ἐφόροις ἀκρίτους ἀποκτεῖναι τοσούτους ὁπόσους ἂν βουληθῶσιν.* Scimus iam eos cum de ciuibus ageretur, capitis accusare potuisse, non damnare, quod ius senatus solus habebat[6].

Inde iudicia de maximis rebus causisque capitalibus ephoris permissa fuisse in periœcos arbitretur qui non considerauerit unicum esse Isocratis testimonium et oratori Atheniensi studio forsitan fuisse ut « Lacedæmonio-

[1] *Plat.*, Leg., I, pag. 637 B.

[2] *Strab.*, VIII, 5, pag. 365. Συντελεῖν τῇ Σπάρτῃ.

[3] *Thucyd.*, IV, 18 ; *Herod.*, VII, 234.

[4] *Plut.*, Lysand., 16. *Diod.*, XIII, 106.

[5] Cf. sup., pag. 92 sqq.

[6] *Xenoph.*, De Re publ. Laced., 10, 2 (4, 10) : θεὶς γὰρ ὁ Λυκοῦργος τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος.

· Cf. *Schæfer*, De Ephor. Lacedæm. comment., pag. 8.

extremam inopiam adduceretur? Quapropter ditissimos sæpe, cum multati essent, solum uertisse uidemus.

Adde quod inspiciendi syssitiorum participes facultas ephoris tribuebatur lege et reges ipsi peculiari suæ cenæ, cum Spartæ morarentur ab eis cogebantur adesse. Vt obsonia quædam præberent diuites ab ephoris condemnati esse uidentur[1]. Inde igitur, quanquam scimus syssitiis uniuersis polemarchos præfectos fuisse, custodiam quamdam huius ueteris consuetudinis ad res militares in primis spectantis ephoris mandatam esse apparet.

Quæ iura in Spartanos ciues exercebant, eadem in ceteros Lacedæmonios, id est periœcos, ephoros obtinuisse existimandum est, neque tamen pro certo affirmandum, quoniam nulla supersunt testimonia unde conclusio ea eruatur. Et ob eam causam conicere potuit O. Muellerus[2] periœcos, non nisi cum Lacedæmone adessent, ephororum iudicio subiectos fuisse. Ceterum nouimus periœcorum regionibus magistratus et procuratores a Spartanis impositos esse qui præessent[3]. Sed iuris dictione quadam eos instructos esse e nomine procuratoris in Cytheram insulam quotannis missi, Κυθηροδίκου dico[4], colligere licet. Ea autem quæ ad iuris dictionem spectabant ex ephororum arbitrio pependisse satis constat. Præterea mores periœcorum spartanos magistratus

[1] *Bielchowski*, De Spartan. syssit., pag. 20 sqq.
[2] Die Dorier, II, 115 sqq.
[3] Schol. *Pind.* Olymp., VI, 154, ubi *Harmostæ* illi nominantur.
[4] *Thucyd.*, IV, 53.

speculatos esse docet Plato his uerbis : *οὔτ' ἂν ἐπ' ἀγρῶν ἴδοις οὔτ' ἐν ἄστεσιν ὅσων Σπαρτιάταις μέλει συμπόσια οὐδ' ὁπόσα τούτοις ξυνεπόμενα*[1], quæ autem morum cura ephoris contingebat. Denique cum tributa conferebant periœci[2] militesque imperatos dabant[3], necesse erat illos ephoris parere, quoniam inter horum magistratuum munia, ærarii publici et uectigalium administratio adnumeranda esse uidetur[4], et militum dilectum penes eos fuisse supra demonstratum est[5]. Latius etiam in periœcos patuit ephororum potestas si credimus Isocrati qui de capite hominis lacedœmonii ephoros ad arbitrium suum iudicasse docet in Panathenaïco, cap. 181 : *τῶν γὰρ οὕτω μὲν ἐξ ἀρχῆς δεινὰ πεπονθότων, ἐν δὲ τοῖς παροῦσι καιροῖς χρησίμων ὄντων (τῶν περιοίκων) ἔξεστι τοῖς ἐφόροις ἀκρίτους ἀποκτεῖναι τοσούτους ὁπόσους ἂν βουληθῶσιν*. Scimus iam eos cum de ciuibus ageretur, capitis accusare potuisse, non damnare, quod ius senatus solus habebat[6].

Inde iudicia de maximis rebus causisque capitalibus ephoris permissa fuisse in periœcos arbitretur qui non considerauerit unicum esse Isocratis testimonium et oratori Atheniensi studio forsitan fuisse ut « Lacedæmonio-

[1] *Plat.*, Leg., I, pag. 637 B.
[2] *Strab.*, VIII, 5, pag. 365. Συντελεῖν τῇ Σπάρτῃ.
[3] *Thucyd.*, IV, 18 ; *Herod.*, VII, 234.
[4] *Plut.*, Lysand., 16. *Diod.*, XIII, 106.
[5] Cf. sup., pag. 92 sqq.
[6] *Xenoph.*, De Re publ. Laced., 10, 2 (4, 10) : θεὶς γὰρ ὁ Λυκοῦργος τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος.
Cf. *Schæfer*, De Ephor. Lacedæm. comment., pag. 8.

» rum condicionem multo etiam miserabiliorem quam » erat » describeret. Verum, ut omittam quanta diligentia Isocrates se legum institutorumque Spartanorum peritum esse nos moneat, hoc saltem e testimoniis allatis concludendum est duplici munere functos esse ephoros cum auctoritatem suam in periœcos exercuerint, scilicet iuris dictione et militari potestate.

Obnoxios eis helotas fuisse uix monendum est; nam in Lacedæmoniorum exercitum aut in classem magnum numerum helotarum conscriptum esse et accepimus multis testimoniis et domi etiam hoc hominum genus arctis legibus coercitum esse multa demonstrant. Eorum enim condicionem ab ephoris, munus auspicantibus, ad edicti cuiusdam formulam descriptam esse quotannis ut colligamus, uerba Xenophontis (Hellen., III, 3, 8) efficiunt. Quin immo, si Plutarcho credimus, sententiam Aristotelis referenti forsitan e deperdito περὶ Πολιτειῶν opere expromptam, bellum publice illis ab ephoris ita indictum esse apparet, ne eorum cædes piaculo esset[1]. Vtcumque est ea, quæ fertur, κρυπτεία, quæ ad exercendam, quam dicunt recentiores, *politiam* pertinere uidetur, hoc tamen institutum ab ephoris pependisse non est dubium. Aliunde constat ab his magistratibus prouisum esse ut sine mora, omissa legum ratione, si quid quis inter Helotas moliri uideretur contra rem publicam, celeriter coerceretur aut e medio tolleretur. Vitam quin etiam nonnulli ami-

[1] *Plut.*, Lys., 28; Cf. *Plat.*, Leg., I, pag. 633.

serunt ob fortitudinem quæ crimini eis uertebatur, ita ut ephoris sine dubio tribuenda sit horrenda cædes de qua monet Thucydides[1]. Octauo enim belli Peloponnesiaci anno, postquam uirtute sua uictoriam Spartæ pepererant, circum templa ducti, honoris causa, et coronis ornati paulo post non comparuerunt et ciues spartanos latuit facinus : οὐ πολλῷ ὕστερον ἠφάνισάν τε αὐτοὺς καὶ οὐδεὶς ᾔσθετο ὅτῳ τρόπῳ ἕκαστος διεφθάρη.

Quæ supra illustrare conati sumus demonstrarunt e duplici principio manauisse ephororum potestatem, scilicet e ciuili iuris dictione et e militari munere quod reipsa e fortunarum æstimatione pendebat. Præterea quibus de causis ephori externa negotia tractarent et in bello componendo pacisque fœderumue condiciones subscribendo primas agerent summatim attingere opus est. Hoc intellegetur facile, si quis reputauerit ad quas consiliorum rationes spartana res publica directa fuerit. Diu uires suas in tuendos aut proferendos fines Lacedæmonii insumpserant, cum, subacta tandem Messenia, principatum in Peloponneso obtinuere. Huic lento et arduo labori peragendo suffecerant uetera Doriensium instituta, regum imperium et senatus auctoritas. Antiquo more instructus Spartanorum exercitus annua bella finitimis populis inferebat domumque redibat, pace parta aut deuictis hostibus. Sic Amyclæ, Las, Pharis, Geronthræ et postea Bœæ Helosque urbes expugnatæ[2]. Quid his temporibus de

[1] *Thucyd.*, IV, 80.

[2] *Strab.*, VIII, pag. 364 sqq.; Cf. *Pausan.*, III, 2, 6 ; 22, 6 sqq.

ephororum auctoritate euenerit uix suspicari potest, cum desint fere omnino documenta. Illos iudicia cum regibus exercuisse conici tantum potest e loco Pausaniæ iam laudato[1]. Veri simile est eos maiora tractauisse, dum bella messenia gerebantur; quod libenter Dumio concedimus, sed ex aliis causis atque ille credidit ortum esse arbitramur. Nam hi magistratus, optimatium duces, regibus absentibus, personam ciuitatis gesserunt, quoniam una constituta est apud Spartanos potestas et in maius aucta, cum exterarum gentium negotiis propius se immiscuerunt Spartani, ciuium eorum potestatem dico qui hereditarium agrum obtinuerunt et antiquos mores seruauerunt. Atque iam demonstratum est eorum dilectum et numerum ab ephororum officio pro magna parte pependisse. Non igitur mirum est si ephori, ordinis huius auctores una et uicarii, se quasi procuratores ciuitatis præstiterunt et totius rei publicæ paulatim ius administrarunt, cum res inter Lacedæmonem aliosque populos tractarentur. Iam bellis Persicis quæ consilia res publica capiat, indicant; eos adeunt Atheniensium legati et Chilæos Tegeates auxilium petentes a Lacedæmoniis ante pugnam apud Platæas committendam[2]; per ministerium eorum responsa sua dat ciuitas.

Apud Thucydidem etiamtum negotia publica simul populus, ephori et senatores tractare uidentur[3], sed iam

[1] Cf. sup., pag. 9.
[2] *Herod.*, IX, 7, 8, 9.
[3] *Thucyd.*, VI, 88.

præcipuum ducendi belli munus penes solos ephoros est[1]. In libris autem Hellenicis qui inscribuntur, eosdem Xenophon ostendit arbitrio suo et fere solos de bello et de pace decreuisse, legatos externarum gentium uel recepisse, uel, si uideretur, urbe expulisse. Quod satis demonstrat legatio atheniensis Theramenis ad regem Agin missi, cum Athenæ, uiribus exhaustis, pacem a Lacedæmone postulabant. Rege rem a se pendere negante, Theramenes petiit Spartam unde ab ephoris eiectus est. Qui cum Lysandro pacis condiciones proposuerat ab eo responsum tulit penes ephoros esse ius de pace aut de bello agendi, ἐκείνους κυρίους εἶναι εἰρήνης καὶ πολέμου[2]. Sane contionem postea conuocatam esse Xenophon hoc loco docet. At illud animaduertendum est ad gentes alias atque ad Spartanos consilium quoque capiendum pertinuisse. Quarum ceteroquin sententiam minime secuti ephori Athenis pepercerunt. Alteram posterius uidemus habitam esse contionem, cum eiectis a Thrasybulo triginta uiris, quindecim uiros qui res componerent Athenas mittere Spartani in animo habuerunt. Sed ibi etiam, quoniam clamore populus suffragia ferebat, ephori facile primas agebant, clamantium confuse consilia interpretati[3]. Ita, quinto ante C. n. sæculo, ephoris mandata esse negotia quæ Spartanis cum aliis populis intercedebant, quin immo totam ab eis ciuitatis potestatem et quasi personam repræsentatam esse pro certo habendum est.

[1] *Thucyd.*, VIII, 11-12.

[2] *Xenoph.*, Hellen., II, 2, 7, 18. — [3] *Id.*, ibid., II, 4, 38.

Prostratis Athenis, cum uniuersam Græciam Spartani regebant, et ubique *aristocraticam* reipublicæ formam conabantur constituere, aliqua, ut aiunt Plato, Xenophon et Aristoteles [1], tyrannide potiti sunt magistratus illi. Non modo enim domi, sed foris etiam omnia gubernabant, cuius rei et Xenophon et Plutarchus plura exempla suppeditant quam ut omnia illa collegere necesse sit. Nunc, sine iudicio, Cinadona consciosque incepti necant, nunc uel ducem, ut Dercyllidam suo arbitrio bellum gerere cogunt [2], uel regem, ut Agesilaum domum reuerti iubent [3]. De ciuitatibus imperio adiectis statuunt, et quibus uiis aut gubernandæ aut libertate donandæ sint decernunt. De sociorum tributis et obœdientia iudicant et quando minus ii parere uidentur bellum sponte sua indicunt [4]. Harmostæ quibus subactarum urbium regimen committebatur ab iis creabantur aut tollebantur [5]. Cum Phæbidas dolo Thebas cepit ad ephororum cognitionem res delata est [6]. Sane contionem populi interrogatam

[1] *Plat.*, Leg., IV, 712, D. *Xenoph.*, De Re publ. Lacedæm., VIII, 4.

Arist., Pol., II, 6, 9.

[2] *Xenoph.*, Hellen., III, 2, 12.

[3] *Xenoph.*, Agesil., I, 36, VII, 2 ; *Plut.*, Agesil.

[4] *Xenoph.*, Hellen., III, 2, 23, ubi agitur de bello aduersus Eleenses.

[5] *Xenoph.*, Hellen., IV, 8, 32. Anaxibius urbi Abydo harmostes imponitur ab ephoris. *Xenoph.*, Hellen., III, 4, 2. Quos Lysander constituerat harmostæ ephororum iussu tolluntur.

[6] *Xenoph.*, Hellen., V, 2, 32.

esse et ea ætate nonnunquam apparet, ut in bello gerendo contra Achæos et Acarnanas [1]. At quæ iam esset hæc contio et quo modo suffragia ferret, supra dictum est [2]. Atqui animus attendatur uelim ad id tempus quo latissime ephororum potestas patuit. Tum res præcipuæ decerni uidentur per illud angustum concilium hominum de quo solus Xenophon docet, et cui nomen μικρὰ ἐκκλησία ab eo datum est [3], res fere omnes per ephoros agi. De illo concilio cum multi docti uiri disseruerint, nec ad certum exitum coniecturas perduxerint [4] temerarium est iudicium proferre. At cuicumque de illo sententiæ creditur, seu illud unice constitisse arbitramur ex eis qui ἐν τέλει erant, scilicet, ut ueri simile est, qui magistratus populi nomine gerebant ; seu in illud admissos esse putemus Spartiatas diuitiis et obseruantia legum [5] pollentes ; hoc tamen restat ephoros paucorum et optimatium consiliis et commodis ita inseruiisse ut *aristocratici* regiminis quasi instrumenta fuisse uideantur.

Nec iam arduum est quanto imminutus esset eo tempore Spartanorum numerus computare, cum ab O. Muellero (Die Dor., II, pag 195) doctissimi homines tantam ciuium penuriam notarunt [6]. Scimus enim se-

[1] *Id.*, ibid., IV, 6, 3. — [2] Cf. sup., pag. 105.

[3] *Xenoph.*, Hellen., III, 3, 8.

[4] Cf. *Hermann.*, Lehrb., fünfte Aufl., 1884, I, cap. 25, 9 sqq.

[5] *Gilbert*, Stud. zur altspartan. Gesch., pag. 155.

[6] V. *Bielchowski*, De Spartan. Syssit., pag. 51 sqq. Cf. *Cl. Jannet*, Les Instit. soc. et le Droit civil à Sparte, pag. 126 sqq. De causis cur decreuerit numerus ciuium Spartanorum. V. *Fustel*

cundo bello Persico octo millia ciuium superfuisse Spartæ quæ antea nouem et decem etiam millia expleuerat. At multo minor frequentia declaratur anno 371 quo apud Leuctra pugnatum est; nam ante id prælium «Spartæ »erant circa 1,200 ciues, quorum 400 in pugna occisi »sunt (Xenoph., Hellen., VI, 4, 15); eo autem tem»pore quo Aristoteles Politicorum libros condidit, quod »paullo post a. 336 factum esse, ueri simile est, fere »1,000 ciues reperiebantur. Et Agidis ætate, qui a. »244 ad regnum peruenit, 700 ciues Sparta (Plut., Ag., 5) »amplectebatur, ita ut intra 130 annos ciuium numerus »uix trecentis imminueretur, quum antea intra 110 an»nos — ab a. 480 usque ad a. 371 — ciuium frequentia »ab 8,000 usque ad 1,200 decidisset.» Recte quidem monet *Bielchowski* hanc miram differentiam bellis gestis non satis explicari. Quod ad propositum nostrum attinet, hanc suspicamur ex ephororum consiliis et opere prouenisse, qui uetusta disciplina per multos annos seruata, optimatium ordini semper morem gesserunt. Inde recte dici potuit «regiminis formam origine *aristocraticam*, auctoribus ephoris, tandem in *oligarchicam* abiisse [1]». Quæ Aristolelis quoque sententia fuit. Nam si conferuntur inter se duo loci Politicorum, uidetur altero scriptor regibus id uitio uertisse quod effectum fuit eorum popularibus artibus; *demagogos* enim se præbuerant reges. Inde stabilita est ciuitas per ephororum ministerium

de Coulanges, Étude sur la Propriété à Sparte. Acad. des Sc. mor. et pol., nouv. série, 1880, tom. XIII et XIV.

[1] *Kan*, Disputat. antiquar. de Ephor. spartan., pag. 102.

quoniam patebat populo summus magistratus[1]. Altero loco definiuntur et *oligarchia* illa, qualis Spartæ inuenitur, et magistratuum genus optime ad hanc rei publicæ formam accommodatum. Breui nempe tempore gerenda omni «populo» patere necesse est huius modi officia, ut in uicem omnes ciues e quibus «populus» constat ea exercere possint[2].

His uerbis satis declaratur cur in spartanæ rei publicæ constitutione paulatim potestas fere tota ciuibus optimo quidem iure fruentibus, sed minime reliquo populo præstantibus commissa fuerit. Inde facile est intellegere quas ob causas ephororum collegium ex nihilo ortum, anno exacto, in nihilum reuerteretur. Nempe sibi-met-ipsis diffidebant optimates illi penes quos Lacedæmonis gubernatio erat. Quo pauciores restiterant et ditiores, eo maius erat periculum ne quis inter eos tyrannidem meditaretur, quod a Pausania et a Lysandro temptatum fuisse scimus. Igitur æquabilitate omnibus imposita, cuiusque beneficia illi tuebantur. Ita ueram esse sententiam hanc Aristotelis indicarunt : *ἔστι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι· διὸ καὶ ἐν τούτοις ἐγγίγνονται δημαγωγοὶ πολλάκις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον*[3]. In

[1] *Arist.*, Pol., II, 6, 15. 1270b, 12-15. Bekk. mai.

[2] *Arist.*, Pol., VIII (V), 7, 4. 1308a, 14-16. διὸ ἐὰν πλείους ὦσιν ἐν τῷ πολιτεύματι, πολλὰ συμφέρει τῶν δημοτικῶν νομοθετημάτων, οἷον τὸ ἑξαμήνους τὰς ἀρχὰς εἶναι, ἵνα πάντες οἱ ὅμοιοι μετέχωσιν.

[3] *Arist.*, Pol., VIII (V), 7, 4. 1308a, 16-18. Addit hæc ibidem Aristoteles : ἔπειθ' ἧττον εἰς δυναστείας ἐμπίπτουσιν αἱ ὀλιγαρχίαι καὶ ἀριστοκρατίαι (οὐ γὰρ ὁμοίως ῥᾴδιον κακουργῆσαι ὀλίγον χρόνον ἄρχοντας καὶ πολὺν ἐπεὶ διὰ τοῦτο ἐν ταῖς ολιγαρχίαις καὶ δημοκρατίαις γίνονται τυραννίδες · ἢ γὰρ

quibus uerbis duo notanda sunt : alterum, quo populum scriptor usitato apud Spartanos uocabulo « ὅμοιοι » significat ; alterum, quod *demagogis* regibus Spartæ etiam conuenit.

Nec solus Aristoteles talia edisseruit, quæ bene excogitata apud Græcos scriptores nonnunquam reperimus, cum quarto et tertio a.Ch. n. sæculo condita opera euoluimus. Iam Demosthenes[1] necesse esse dixerat in *oligarchiis* pares ciues esse, ut concordes essent.

Apud Xenophontem[2] Socrates illud Lycurgo gratulatur quod legum spartanarum conditor æquabilitatem statuerat inter ciues, quoniam, ea rupta, stare ac librari nequit paucorum dominatio.

Disertius etiam Isocrates ostendit[3] Doriensium primores, post subactam Peloponnesum ἰσονομίαν et aliquam δημοκρατίαν inter se statuisse, ut semper, quod necessarium esset, concordiam in ciuitate seruarent.

Huic consilio credimus ephoros inseruiisse, et postquam paucorum dominatione regum infracta erat auctoritas, mandata senatus in quo posita erat optimatium potentia exsecutos esse, ideoque domi et foris ciuitatis spartanæ partes egisse.

οἱ μέγιστοι ἐν ἑκατέρᾳ ἐπιτίθενται τυραννίδι, ἔνθα μὲν οἱ δημαγωγοὶ ἔνθα δ'οἱ δυνάσται. ἢ οἱ τὰς μεγίστας ἔχοντες ἀρχάς, ὅταν πολὺν χρόνον ἄρχωσιν).

[1] *Demosth.*, Adu. Leptin., pag. 107, ed. Didot.

[2] *Xenoph.*, Memor., L. IV, cap. IV, 15.

[3] *Isocr.*, Panathen., cap. 179.

CONCLUSIO.

Superest ut paucis comprehendamus quæ de ephoris spartanis coniecimus aut euincere conati sumus. Cum rara et disiecta sint documenta quibus ad exitum probabilem quæstio duci possit, et, longinquitate temporum, diuersæ famæ apud scriptores magno distantes inter se interuallo reperiantur, uetustissima testimonia consulere, ut ephororum origo explicaretur, potissimum uisum est. E quibus conclusum est ephororum inuentione finitas esse et inhibitas in posteram ætatem, has rerum conuersiones quibus diu, testibus Herodoto et Thucydide, ciuitas spartána laborauit. Nam postquam reges religione magis quam auctoritate pollentes paucorum dominationi cesserunt, paulatim summis muneribus ornati sunt ephori, fere omnia negotia ad se traxere. Nec certum huic regiminis mutationi tempus adsignari posse, sed tantum hoc coniecimus ephororum potestatem ante bella messenia ortam inter instituta ea quibus nomen est Lycurgea adnumerandam esse et e iuris dictione forensi cepisse initium.

Plura sane adfirmare concessum fuisset, si unde et quomodo collegium desumeretur, notum esset. At de hac quoque lectione inscientiam parit testimoniorum penu-

ria. Illud tamen colligere temerarium non uisum est, ephoros e populo creatos esse, fortasse a populo ipso designatos, postquam auspiciis captis, nominum quorumdam indicem conceptis uerbis senatores pronuntiari iusserant.

Cum de ratione creandi merito dissentiant scriptores, in hoc summam rei positam esse apparuit quinam esset hic populus unde et a quo ueri simile esset ephoros electos esse. Quem ex omnibus Spartanis constitisse leges ueteres obseruantibus et in syssitia certum tributum conferentibus nonnulla demonstrarunt.

Quantum autem ciuium illorum numerum et iura per ministerium suum imminuere aut amplificare ephori possent, testes sunt qui de rebus spartanis scripsere quinto et quarto a. Ch. n. sæculo. Ita huius collegii munus, cum *homœorum* spartanorum condicione coniunctum esse compertum est, ut agros et res mouentes, familiam ipsam et inde hunc totum ordinem hominum a quo pendebat rei publicæ administratio aliqua auctoritate, magis in dies aucta, regerent ephori, exercituum dilectui et ductui præessent, denique externa negotia ciuitatis gubernanda curarent. Inde factum est ut arcta quasi societate et communi fato primorum ordo et ephoratus iungerentur quamdiu ueteribus moribus stetit res publica Lacedæmoniorum.

Increscente autem eorum potestate, ob eas quas diximus causas, quanto imminuebatur ciuium numerus, tanto magis coaceruabantur opes et stabiliebatur potentia. Quod etiam ante bella Persica incepisse et fortasse agrorum messeniorum partitione adiutum esse conati sumus euin-

cere. At eo maius inde periculum erat ne inter paucos unius dominatio exoriretur, præsertim cum Epitadei lege sancitum sit ut libere de omnibus bonis suis uti, ut uellet, cuique liceret; nam fortunis et clientela multo ante secretis pactionibus comparata aliquis reperiri potuisset, qui pares sub imperio suo subigeret. Huic reformidatæ tyrannidi a primoribus et a senatu ephororum breuis et quotannis mutata tyrannis opposita est.

At tandem illi dominationi paucorum ciuium qui bellis fere perpetuis et fortunis in aliquorum manus aceruatis superfuerant minata est regia potestas. Quod frustra Pausanias, Cinadon, Lysander temptauerant, illi periœcorum et helotarum opere, hic, mutatis regiarum successionum legibus et fauente quadam oraculorum religione, id, anno 242 Agis IV molitus est, in eo falsus, ut opinor[1], quod hanc rerum conuersionem per ephororum ministerium aggrediebatur. Nam quamuis in collegium amicos recipiendos curauisset, inter quos Lysandrum[2], ut nouam agrorum distributionem instituere, æs alienum tollere et ciuium numerum supplere meditatus est, optimatium potentia cecidere consilia eius. Ephoris enim obstiterunt primores, quoniam nouas res illi moliebantur. Senatorum dissentientibus suffragiis, frustra rem ad ἐκκλησίαν Lysander cum Mandroclida et Agesilao detulit, antiqua oracula et ueterem religionem pro Agidis lege obtestans. Conuo-

[1] Cf. *Droysen*, Hist. de l'Hellénisme, translat. franc.-gallic., auctore Bouché-Leclercq., tom. III, pag. 521.

[2] *Plut.*, Ag., 8.

cato rursus senatu, ita diuites ciues ambitu ualuerunt ut eam patres antiquarent[1]. Rerum publicarum conuersione opus erat ut optimates et regem Leonidam qui fauebat eis Agis uinceret. Hanc igitur ausus est et, concitata seditione, ephoris de solio depulsis, nouos, quod insolitum erat, ex amicis suis ipse elegit[2]. Quod rursus postea factum est ab eo[3]. Satis compertum est quam res ei male cesserit. Nam, cum proditus esset, ad senatum, facinoris conscium, delatus est et capite luit inceptum suum.

Quod cum peragere uoluit Cleomenes III, anno 225 a. Ch. n., perspexit ephoros in primis consiliis suis aduersaturos esse et, nisi tollerentur ii, rei publicæ mutationem nullo pacto posse fieri. Interemptis igitur magistratibus, et octoginta circiter ciuibus e primorum factione in exsilium actis. uetustam ciuitatis formam et antiquum ius restituere conatus est. Ipsum autem munus sustulit quod ab Antigono Dosonte, post prælium ad Sellasiam commissum, sed detracta iam maxima auctoritatis parte, refectum est. Nec postea, cum in tyrannidem cesserat Spartæ res publica, pristina potentia illud ornatum esse conspicuum est.

Quis fuerit hic magistratus intellegere facile est ex eo odio quo rex Cleomenes in eum impulsus est. Antiquis scilicet rei publicæ spartanæ temporibus ephoratus insti-

[1] *Plut.*, Ag., 11.
[2] *Id.*, ibid., 12.
[3] *Id.*, ibid., 13.

tutione finem habuerat longum illud certamen quod erat inter reges et primores ciuitatis agrorum hereditaria possessione et militari usu pollentes. Per illam optimatium uictoria manere et amplificari potuit ; ex illa orta est tyrannis quædam quæ *homœis* et senatui semper inseruiit. Cum primorum senatusque potentia creuit et cecidit pariter ephororum munus. Id uetustam Spartam, paucorum dominatione fretam sustinuerat, cum ea dilapsum est.

FINIS.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
pridie Idus nov. MDCCCLXXXVII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

TABULA.

ERRATA.

P. 10, lin. 7 [Agidis III] ; lege : Agidis IV.
12, ad not. 1, lin. 2 [vid.] ; lege : uid.
14, lin. 21 [totam] ; adde : [2].
15, lin. 1 [inventionem] ; lege : inuentionem.
16, lin. 14 [gravissimum] ; lege : grauissimum.
17, lin. 6 [manifestum est,] ; lege : manifestum est [quando constat,] ; lege : quando constat.
20, ad not. 2, lin. 1 [Mæandrum] ; lege : Mæandrium.
23, lin 15 [Hæc] ; lege : Hac.
28, lin. 12 [brevi] ; lege : breui.
29, ad not. 3 [pag. 26, ad not. 2] ; lege : pag. 28, ad not. 1.
31, ad not. 2, lin. 1-2 [Plutarchus] ; lege : Plutarchs.
39, lin. 5 [laboravit] ; lege : laborauit.
40, ad not. 1 [pag. 3] ; lege : pag. 30.
78, ad not. 2, lin. 2 [ἀθροισθέισης] ; lege : ἀθροισθείσης.
86, lin. 5-6 [animadvertunt] ; lege : animaduertunt. — Lin. 6 [Unde] ; lege : Vnde.
94, lin. 6-7 [æqualitatem] ; lege : æquabilitatem.
94, lin. 21-22 [reuertere] ; lege : reuerti.
96, lin. 8 [adversus] ; lege : aduersus.
97, lin. 2 [Mæandro] ; lege : Mæandrio.
106, lin. 2 [reipublicæ] ; lege : rei publicæ.
110, ad not. 1, lin. 1 [1308 ᵃ 16-18] ; adde : Bekk. mai.